

JOANNIS BONA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

EPISTOLÆ

UNA


CUM ALIIS ERUDITORUM VIRORUM AD EUMDEM,

NONDUM TYPIS EVULGATÆ

ACCEDIT

Ejus Vitæ Elogium, ac omnium Operum index.





LUCÆ MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA JACOBI JUSTI
Ad Columnam Pallii
SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uantam afferat literatorum Reipublicæ, ſtudioſiſque hominibus utilitatem qui diligenter colligit, typiſque evulgat doctorum virorum ad viros doctos Epiſtolas, quas qui legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum, quibus iidem claruerunt, non ſolum experiundo cognoſcitur, ſed etiam res ipſa facile demonſtrat. In iis enim multa perſcripta ſunt de ſtudiis, vigiliiſque eorumdem, ex quibus diſcimus qua ratione in ea incubuerint, quibus præſidiis adjuti ſint, quibus alios adjuverint, quos potiſſimum in unaquaque facultate auctores probarint, quid de aliorum operibus judicarint, quid de ſuis vel edendis, vel emendandis amicis præceperint: quæ quidem omnia ad incrementa ſcientiarum cognoſcenda, vel ad ſtudia recte inſtituenda maxime conducunt. Præterea cum in privatis ad amicos Epiſtolis paulo liberius animi noſtri ſenſus aperiamus, pluraque ſcribamus, quæ tum, cum ſcribimus nullo modo divulganda putamus, multa ſæpe occurrunt

in ejuſmodi epiſtolis ſcitu nobis jucunda, aut neceſſaria; quamque illi de quibuſdam negotiis, de certis hominibus, deque iis controverſiis, quæ tum maxime vigebant, vel agitari cœperunt, ſententiam foverent, aperte cognoſcimus. Denique non deſunt in his Epiſtolis præclara fidei, benevolentiæ, amicitiæ, humanitatiſque exempla, cum ſæpe ejuſmodi occurrant, ex quibus diſcimus quanta illi cura, & vigilantia in negotiis literatorum hominum, quos colebant, & a quibus colebantur, procurandis, quantoque ſtudio in iis adjuvandis, ſi qua re egerent, verſati ſint. Hæc autem omnia cum ex multis harum Epiſtolarum voluminibus, quæ jamdudum in lucem edita ſunt, tum maxime ex eo cognoſci poſſunt, quod edidit non ita pridem doctiſſimus Vir Robertus Sala Monachus Ciſtercienſis, qui quamplurimas celeberrimi viri Joannis Bona S. R. E. Cardinalis ad literatos viros, horumque ad ipſum Epiſtolas collegit, atque animadverſionibus illuſtravit. Bona enim plures coluit doctiſſimos viros Dacherium, Mabillonium, Labbeum, Papebrochium, Baluzium, Gouſſainvillium, Gombefiſium, Lupum, Noriſium, alios, quibuſcum multa de ſtudiis ſuis communicabat, & non rerum colloquia leviorum, ſed de libris edendis, aut emendandis, de rebus divinis, vel ad Eccleſiæ hiſtoriam pertinentibus illuſtrandis ſermonem inſtituere conſuevit. Idem ſi quo in opere continuando quempiam

piam

piam illorum verſari intelligeret, eum hortari, atque incitare, operaque conſilio, omnibus rebus, quibus poſſet, juvare non deſtitit. Et ſane quo animo fuerit Bona in optimas artes, optimarumque artium cultores, quantumque eidem debeant Eccleſiaſticæ eruditionis amatores non tam ex ejus vita, exque ejus operibus, quæ merito plurimi æſtimantur, quam ex ipſis epiſtolis, quæ quidem ſacræ Doctrinæ, eruditioniſque ſunt refertiſſimæ, intelligi poteſt. Apparet etiam ex iis ejus ſolertia in judicando, in conſiliis dandis prudentia, animique ab omni jactantia alieniſſimi Chriſtiana moderatio, ut facile qui eas legit non ſolum virum doctiſſimum, ſed etiam omni virtutum genere ornatiſſimum agnoſcat. Quamquam hæc res, ut verum dicam, pluribus non egeat argumentis, quippe quam ſatis teſtatam faciunt ejus opera, quæ de vita chriſtiane inſtituenda evulgavit, quæque ab omnibus maxime probantur. Hæc igitur animadvertens D. Benedictus Paſſioneus Protonotharius Apoſtolicus, Baſilicæque Sancti Petri Canonicus eccleſiaſticæ eruditionis amantiſſimus, cum probe ſciret non omnes omnino ab Roberto Sala Jonnis Bona ad viros doctos, horumque ad ipſum repertas fuiſſe editaſque Epiſtolas, ſe operæ pretium facturum exiſtimavit ſi reliquas cum ex Bibliotheca S. Bernardi ad Thermas, tum ex ea, quam domi inſtructam habet, opera, ſtudio, & magnis ſumptibus Patrui ſui Dominici

Paſ-

Paſſionei, Doctiſſimi Cardinalis, quanta poſſet diligentia colligeret, typiſque edi curaret. Namque hic Cardinalis ampliſſimus, omniumque ſtudiorum amantiſſimus dedit operam, ut inſignem Bibliothecam ſuam non ſolum copia, delectuque librorum typis editorum, ſed etiam non exiguo Manuſcriptorum numero inſtructam haberet: utque Monachorum Ciſtercienſium Protector eſt, & Monaſterii S. Bernardi ad Thermas Abbas, ut vocant, Commendatarius; quæ ſunt Cardinalis Bona, quem imprimis admiratur, reliqua Manuſcripta vel habere ipſe, vel in Bibliotheca Ciſtercienſium conquirere, Nepotique ſuo evolvenda tradere ſtuduit. Itaque offero tibi, humaniſſime Lector, hoc alterum Epiſtolarum Cardinalis Bona ad viros doctos, & horum aliquot ad ipſum volumen, quas meis typis edi voluit qui eas collegit Benedictus Paſſioneus; ex quibus parem, atque ex iis, quæ jam antea editæ ſunt, capere poſſis fructum atque utilitatem. Sunt enim earum ſimiles, plenæ ſapientia, doctrinaque; virique Doctiſſimi præclaras virtutes, imprimiſque excellens ſtudium in eo poſitum, ut Eccleſiaſticarum rerum eruditio creſceret, omnibuſque viris Doctis plurimum prodeſſet, perſpicue oſtendunt. Vale.

ELO-

ELOGIUM EMINENTISSIMI DOMINI

D. JOANNIS BONA

S. R. E. CARDINALIS

Extractum ex Operibus omnibus ejusdem Cardin. edit. Antuerpiæ 1739.



Tsi Eminentiss. Card. Bona testamento cavit, ut ne ab Amicis laudaretur, neve qui libris ejus in lucem edendis operam navarent de Auctore quidquam magnificè præfarentur; nemo tamen mihi jure succensebit, si pauca hoc loco de illius vita ac moribus integerrimis delibavero. Fecit ille pro modestia sua, ne Christianæ humilitatis sensum una cum mortali corpore, exuisse videretur: faciam & ego pro æquitate communique proborum omnium voto, ut maxima illius in Ecclesiam universam, atque Rempublicam Literariam merita nullis unquam seculis intermori possint. Sapienter quidem intimis ejus Amicis visum est, dum vitam egit eximiæ illius virtuti plus admirationis tribuendum esse quam laudis: quippe sciebant optimi Cardinalis animum a captandis popularibus auris alienissimum, omnes præconiorum illecebras, ut præsentissimum virus aversari, quo nihil blandius aut periculosius virtuti insidiatur. Nunc quoniam Cœlo recepta anima, ut quidem confidimus, sæculo altior in ipsa gloria, sine fine quiescit, neque ullo mundani honoris sensu movetur; exhibenda sunt pu-

blicis conspectibus gratiæ dona, quibus ille cum ad suos, tum ad aliorum mores piè sanctèque efformandos affatim cumulatus est. Licuerit sane elatioris animi Stoico mortem opperienti, imaginem vitæ suæ, quod unum pulcherrimum habebat, amicis relinquere: (*Seneca apud Tacit. Annal. XV.*) *alii profecto erant in Cardinali nostro sensus, immo non minor ei cura fuit amplissimi nominis minuere claritatem, quam ipsi honores forte indebitos, & vani rumoris aucupium consectari.*

Jam igitur officii mei partes sunt, ut præclaris tot exemplis ætas nostra minime defraudetur, quorum quo recentior est recordatio, eo major vis & auctoritas esse potest: quominus videri potero testamentariæ clausulæ refragatus, qui publicæ utilitatis, cui ille potissimum servivit, rationem habens, rudi pennicillo, sed non inani, forsitan conatus vitæ ejus imaginem effingere, ac posteris commendare studuerim.

Atque ut ab ejus cunis exordiar, Natalis illi dies fuit X. *Octobr. An.* 1609. *patria Mons Regalis, oppidum Subalpinorum, Parentes* N. Bona & Lucretia Zuchena; *quorum ille* Franciscum Bona *Lesdiguerium* Comitem *stabuli Franciæ, non solùm sanguinis propinquitate contingebat, (nam & eadem sunt utriusque familiæ insignia gentilitia) sed & illi arctissimæ necessitudinis vinculis conjunctus erat, uti epistolæ ultrò citroque datæ abunde testantur: hæc vero paris nobilitatis, ac virtutis Matrona, Lucretiam Romanam non minus continentia ac pietate, quam fide ac religione superavit: quamquam si rem altius repetam, si sæculi contemptum, si studia, mores, atque animi sensus optimi Cardinalis propius intuear, Johanni nostro patria cælum erat, Mater Ecclesia, Pater Deus, dies natalis æternitas, quibus solummodo vixit, ac militavit.*

Lubricos primæ ætatis annos, non, ut plerique solent Adolescentuli, crepundiis, aut ludo transegit, sed

Re.

Religionis Christianæ institutis, ac melioribus disciplinis addiscendis impendit: quibus studiis tantum profecit, ut vix annum XI. prætergressus, Orator evaserit, qualis a Marco Catone definitur, vir bonus ac dicendi peritus, *quæ quidem virtutes cum in ejus sermonibus semper eluxerunt, tum etiamnum in scriptis elucent, in quibus tametsi nitori ac simplicitati inprimis studuerit, apparet incredibilis quædam eloquentiæ vis, una cum summa eruditione, ac pietate conjuncta. Jamque illud tempus aderat, quo more Nobilium Adolescentium post decursum literarum studium, artibus militaribus imbuendus Magistro traderetur, impellente filium ad ea potissimum studia Patre, Viro militari, qui nullum alium marem ex uxore susceperat, quem suæ virtutis, ac bonorum hæredem relinqueret. Sed istius vitæ genus actuosum, aleæ ac periculi plenum, Johannes noster pacis ac quietis amantior, tanto nisu adversatus est, ut obsequentissimus ceteroquin adolescens nullis parentum precibus, aut minis ad illud adigi potuerit. Jam tum scilicet Sanctiorem militiam meditabatur, cui cum per ætatem liceret, sese addicere constituerat: nec mora ulla fuit, quin ubi annum ætatis XV. explevit, (quod tempus initiandis Monachis a Trid. Synodo præstitutum est) per calcatum patrem, calcatamque matrem, ut monet Hieron., ad Christi signum convolavit.*

Anno igitur 1625. XIV. *Kal. Augusti, lugentibus proximis, admirantibus bonis, frendentibus malis, sæculo nuntium remisit, & ad Monasterium Ordinis Cisterciensis, quod prope Castrum Pignerolium situm est, sese contulit: in sequenti anno, IV. Nonas Augusti, exacto more majorum tyrocinio solemnia vota Deo alacriter nuncupavit.*

Tum porro sedulo animo reputare cœpit, quæ essent susceptæ a se vitæ rationes atque officia, eaque strenue exequi, quo sæculi fluctibus ereptus, & in tranqui-

quilla Religionis statione collocatus ad destinatum virtutis fastigium citato gradu perveniret.

Procedente tempore, cum jam monasticis disciplinis abunde esset imbutus, Romam studiorum causa voluntate Abbatis sui Generalis accersitus, tantum in Philosophia & Theologia profecit, ut doctissimos quosque Magistros jam tum exæquaret, ac non multo post ambas disciplinas, cum multorum admiratione, atque omnium summo plausu professus sit.

Præcipua illi cura fuit sanam Doctrinam auditorum animis instillare, neque vero eorum mentes bonis artibus solummodo imbuere, sed & mores verbis & exemplis ritè informare, illud Apostoli Pauli effatum identidem inculcans: Scientia inflat, charitas ædificat. *Ex adverso autem eos*, qui veritatem in injustitia detinerent, *sive ut hominibus adblandirentur, sive quod ita sua interesse putarent, usque adeò exosus est, ut eos Christiano nomine indignos, modestissimus alioquin censor libere pronuntiaret.*

In patriam regressus, atque a sodalibus cupidè exceptus, mox Præpositus Monasterii, deinde Archimandrita, ac demum anno 1651. Abbas generalis totius Congregationis, invitus licet ac contra nitens, renuntiatur. Quibus in muneribus obeundis ita se gessit, ut nulla re magis aliis præesse dignosceretur, quam quod omnibus prodesse studeret, eosque gravitate morum, consiliorum maturitate, modestia, humilitate, Monasticæ disciplinæ zelo, doctrina denique ac pietate, quibus ministerium suum ornabat, longissimè superaret. Scilicet docente Sancto Patre Benedicto didicerat, quàm difficilem & arduam rem suscepisset, regere animas, & multorum servire moribus. *Quare in Auctorem fidei ac Pastorem animarum* Jesum *aciem mentis intendens, atque Ordinis sui parentes ac conditores identidem recogitans, utrosque imitari sedulo conabatur, quo gregi suo absolutior forma fieret.* *Tunc*

Tunc porro lucerna ardens modio subducta, ac altissimo candelabro imposita, Urbi & Orbi illuxit, neque ulla regio tam invia aut longinqua fuit, quò non Joannis Bona *optimum nomen penetraret. In primis cum ratione ejus quod capessiverat muneris Romæ illi considendum esset, tametsi contineret sese in occulto, & Claustri latebris solummodo delectaretur, non potuit tamen non erumpere in publicum, ac summis quibusque aulæ Pontificiæ viris innotescere. His inter eminebat Fabius Chigius Cardinalis, qui ob præclaras animi dotes, & egregiam conciliandæ paci apud Monasterium VVestphaliæ navatam operam suspiciebatur ab omnibus, & a plerisque jam tum Pontifex designabatur. Is ut erat acerrimus rerum atque hominum æstimator, Joannis nostri fama permotus, cupere se vehementer in ejus notitiam venire, unaque amicitiam jungere, haud obscurè præ se tulit. Quæ res ad Abbatem Bona per familiares Cardinalis delata, non cupidè avidis auribus, (ut a plerisque solet is honor ambiri) sed summa animi demissione, adjuncta etiam modestia excusatione, ab eo excepta est; quin verò adeò erat turbarum aulicarum impatiens, adeò quietis ac solitudinis amans, ut ne excitus quidem foras rapi se æquo animo pateretur. Vicit tamen amicorum importunitas, neque ita obfirmare se potuit, quin eorum precibus adduci se pateretur, ut Eminentissimum Cardinalem Chigium inviseret, delatamque sibi ultrò cum honore amicitiam iniret.*

Utrinque bellè res accidit: nam & Chigius perspecta Johannis virtute, quâ famam longè vincebat, illum humanissime complexus est, & Joannes vicissim tantam morum suavitatem, in tanto dignitatis fastigio demiratus, Chigium impensius colere coepit, atque exinde conflata amicitia, nullis unquam casibus dirimi discindive potuit.

 Ap-

Appetebat interea tempus, quo ex majorum instituto Abbatem præfectura abire necessum erat; quæ res Eminentissimum Cardinalem eo magis solicitum habebat, quo amici consuetudine carendum sibi esse prævidebat, pervidebatque. Ea propter omnibus modis institit, ut comitia Ordinis Romæ fierent, ratus scilicet fore, ut suo potissimum nisu atque auctoritate ea dignitas in triennium Johanni Bona prorogaretur; aut certè confisus impetraturum se ab eo, ne urbe discederet. Sed ea spes Cardinalem fefellit. Nam Johannes noster veritus, quod res erat, nec minore sollicitudine onus, honoremque detrectans, quam ipsi ab amico procurabatur; metuens insuper, ne ea res in exemplum a posteris tracta, in perniciem Ordinis vergeret, comitia generalia Genuæ indixit, in quibus se omni munere abdicavit, neque in Urbe considere ulterius voluit, ne qua suæ modestiæ vis inferretur. Omni igitur cura liber & vacuus, totum se ad rerum divinarum contemplationem contulit in Monasterio B. Virginis de Vico, ubi:

Postquam parta quies, & summum nacta cacumen
Jam secura petit privatum gloria portum.
Ingenii redeunt fructus, aliique labores
Et vitæ pars nulla perit: quocumque recedit
Litibus, impendit studiis, animusque vicissim
Aut curam imponit populis, aut otia musis.
Omnia cecropicæ relegit secreta senectæ,
Discutiens quid quisque novum mandaverit ævo,
Quantaque diversæ producant agmina sectæ.
[*Claudian. de Consul. Manlii Theodori.*]

Dum his studiis detinetur Johannes Bona, Innocentius Pontifex è vivis excessit, in cujus demortui locum suffectus est magno omnium ordinum consensu, Cardin. Chigius, cui Alexandri VII. nomen inditum fuit.

fuit. Is veteris cum amico consuetudinis memor, nihil reliqui fecit, quod illum Romam accerseret, id potissimum procurante R. P. Libello, qui tum erat a secretis Congregationi, quam Indicis *vocant. Eam rem plerique haud immerito summo honori duxissent; sed Bona rerum humanarum pertæsus, ac professionis suæ admodum tenax, fractam valetudinem excusavit, qua a longinquo itinere suscipiendo prohiberetur. Neque propterea incœpto destitit Alexander, aut antea quievit, quam amicum in urbem adduxisset: casu id melius, quam ratione effectum est. Cum enim ob nescio quas causas, Patres Congregationis S. Bernardi Abbatem Generalem auctoritate Sum. Pontif. sibi præfici optassent; is captata occasione nihil cunctatus* Johanni Bona *Summum Imperium detulit, eique literis Apostolicis mandavit, ut Romam quam primum sese conferret ad eam Provinciam ineundam.*

Paruit ille jussis Pontificis, a quo non solum honorificentissime acceptus est; sed & haud multo tempore interjecto Congregationis, quam Indicis *vocant, tum primum, denique S. Officii, rogatu imprimis Cardinalis Pallavicini, quo familiarissime usus est, Consultor renuntiatus.*

Tot, tantisque muneribus simul obeundis haud imparem se præbuit Joh. noster, quibus ita defunctus est, ut amplioribus in dies dignus videretur. Quamobrem exacto triennio Præfecturam Generalem denuo capessere jussus est. Quæ rursus ipsi ad annum reluctanti prorogatur.

Attamen Alexander ejus tandem precibus victus, fatigatusque, liberam abdicandi potestatem illi fecit, ea lege, ut ne Urbe discederet, bisque singulis hebdomadibus in aulam veniret, ubicumque ipsa consedisset. Quò id illi minus molestum esset, Majori Domus Pontificiæ imperatum est, ut Johannem rheda honoraria com-

commode advehi curaret. Præterea ne quo obtentu, eo sese officio sineret, veteres Codices maxime Mss. ad eum identidem legendos missitabat SS. Pater, ut propensiore animo Claustro excederet, dum se non ad res aulicas, sed ad litteras pertractandas advocari sentiret. Istud porro tam strenue exequebatur Johannes, ut nullum Codicum eorum apicem intactum relinqueret, cujus narrationem redderet Pontifici cum tanta eloquentiæ ubertate, & cum tanta modestia, ac gravi quadam suavitate, ut Alexander ejus colloquio mirifice delectaretur. Hinc jam tum percrebuerat non ambiguus rumor fore, ut quamprimum Bona Cardinalis renuntiaretur. Quippe qui non solum purpura dignus, sed & supremo Hierarchæ acceptissimus esset: verum tantum absuit, ut vir optimus ea qua valebat in aula gratia usus sit ad rem suam, aut ad dignitatem augendam; quin ex adverso creditum est semper ab his, quibus propius notus erat, intercessisse eum vehementissime, quominus ad illud fastigium assumeretur.

Enimverò defuncto Alexandro, atque in ejus locum suffecto Cardinali Rospigliosio, cui Clementi IX. nomen fuit; tum demum aula prorsus cum abstinuit, Congregationis Indulgentiarum Consultoribus primùm, inde etiam sacro Purpuratorum Collegio, titulo S. Bernardi ad Thermas, *adscriptus est die xxix. Novembris, an. 1669. Foret alterius hæc gloria, ac summum decus, illud verò in Cardinali* Bona *multò amplissimum, ad eum honorem non obsequio, non precibus, non intervenientibus amicis irrepsisse, sed bonis artibus, doctrina, pietate, meritis, quæ in eo fuere summa, provectum, aut potius invitum ac reluctantem raptum esse.*

Quis porro tum fuerit ejus animi sensus, satis ipse indicat in sua ad lectores de libris Liturgicis præfatione, ubi sic loquitur: Beatissimus Pontifex me nihil tale aut merentem, aut cogitantem a tranquillitate

&

& pace, quibus in monasterio perfruebar, repentè abstractum & avulsum, ad fastigium evexit maximæ in Ecclesia dignitatis, cui cum impar omninò sim, vereor ne vox illa Prophetæ ad me pertineat. *Elevans allisisti me*. Vixeram in Religione ab anno XV. ætatis meæ usque ad LX. & agnoscens aliquod signum divinæ misericordiæ optabam mori in nidulo meo, *nec diem hominis desideravi*: Deus scit. Nunc autem expulsus à jucunditate monasticæ vitæ, rerum exteriorum tumultus patior, quibus assuetus non eram, & amissis genialibus studiis ad curas seculi ejectus sum, a quibus maximè abhorrebam. *Unde videas quantum se depresserit modestissimus Cardinalis, quove solitudinis ac quietis amore praclara Augustini, Chrysostomi, Gregorii, Bernardi, & aliorum Ecclesiæ Luminum exempla secutus, animum a subeundis dignitatum, aut publicorum negotiorum curis averterit.*

Cardinalatus dignitatem adeptus, adeò modestè tulit, ut postera die quam ea fuit auctus, omissis per incogitantiam novi honoris insignibus monasticas vestes sese induerit, neque antea infularum meminerit, quàm a familiari suo esset admonitus. Scilicet arcano quodam Christianæ humilitatis sensu, infima semper etiam immeditatus appetebat, qui altissimis quibusque fastigiis dignus ab omnibus reputabatur. Illud autem est omni celsitudine amplius bonores aspernari, atque iis in dies invitum augeri, gloria fulgere, neque ejus sensu titillari; dignitatum infulis ornari, neque earum dulcedine capi, decipive. Amicitias eadem familiaritate coluit Cardinalis, qua coluerat privatus, neque alio se magis Cardinalem ostendit, quàm quod Ecclesiæ atque amicorum commodis impensius servivit. Summis plerisque viris, maximè verò Gallis, arctissima necessitudine devinctus erat, ad quos epistolas propè innumeras misit, officii, eruditionis, atque bumanitatis ple-

plenas, quæ fortè aliquando in lucem edentur. Neque *propterea inferioris meriti homines ei despectui fuere: quippe omnes christiana charitate complexus, nulli unquam optima molienti consilio, opera, favore defuit, neminem ex his qui ipsum litteris interpellarunt, voti exortem dimisit.*

Amplissima munera atque officia quibus auctus erat, ita gessit, ut neque gratia pellici, neque auctoritate premi, sed solius veri & æqui studio duci se pateretur, uni æquitati addictus; vitiis solummodò, flagitiis ac sceleribus infensus, quippe qui nullas alias rationes tueri atque augere decrevisset, quam quæ ad Christi *gloriam pertinerent. Hinc illa in dicendo libertas, in consultando sinceritas, in censendo constantia, qua eo usque usus est, ut ne tum quidem ab ea sententia, quæ recta esset, dimoveretur, cum in aliam longè diversam multitudo inclinaret, ritè sapienterque reputans, se non alieni consilii fidejussorem, sed sui prædem apud* Deum *fore.*

Denique adeo erat optimi Cardinalis inter bonos spectata virtus, ut cum primum purpura nitere cœpit, non multò post mortem, obeunte Clemente IX., multorum votis demortuo successor designaretur, hinc illud haud insulsi vatis epigramma;

> Grammaticæ leges plerumque Ecclesia spernit:
> Forte erit ut liceat dicere Papa bona.
> Vana solæcismi ne te conturbet imago:
> Esset Papa bonus, si Bona Papa foret.

Attamen, aliter disponente Numine, irrita fuere Poetæ vaticinia, substituto in locum Clementis Cardinale Alterio, [is est Clemens X.] qui nunc Ecclesiam moderatur, cuique Johannes Bona *in pretio semper est habitus.*

Ta-

Tametsi verò multis ac gravissimis occupationibus detineretur, nullum tamen intermisit tempus, quò non aliquid de divinis rebus meditaretur, legeret, lucubraretur. In primis Scripturæ sacræ, Sanctorum Patrum libris, atque Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus operam dabat, quæ tam altè animo imbiberat, ut nil nisi veterum oracula fundere videretur.

Et quidem jam inde à prima juventute plerosque libros ab eo compositos reperio: de quibus edendis Testamento, anno 1646. ætatis trigesimo octavo scripto vetuit his verbis: Scripta mea & libri quos Deo inspirante composui, & ea omnia quæ vita comite deinceps componere intendo, si nondum impressa fuerint cùm moriar peto ut remittantur amicis & dominis meis Superioribus, qui tunc fuerint, vel his quos ego moriturus nominabo, si spatium competens id præstandi habuero: ut (si eis videbitur) ad Dei gloriam & proximi utilitatem ea typis mandari curent, præmissa præfatione, in qua lector admoneatur me omnia scripta mea sapientum correctioni & Sacræ Romanæ Ecclesiæ submittere, in cujus fide & vivere & mori volo, &c. *quæ in eo codicillo, cujus in hisce operibus exemplar subjicimus, videre est; sed sive modestia ductus, sive studio lucubrationes suas ad incudem revocandi, nihil publici juris fecit, donec sui Ordinis summam præfecturam capessivit.*

Certè ubi primùm Sacerdotio initiatus fuit, actus, ut ipse loquitur, conscientiæ stimulis, Sanctorum Patrum, & recentiorum fere omnium, qui de Missa sanctè celebranda aliquid ediderunt, scripta percurrens, plura ex illis documenta excerpsit, quibus in unum congestis, paucisque de suo additis, Opusculum composuit, quod amicis impellentibus multos post annos prælo commissum est: in quo quidem libro primum de Sacrificio, ejusque valore & fructibus universim, tum de his quæ ad rectè,

pieque celebrandum, Sacerdotem juvant, de modo quo se quisque comparare debeat ad rem divinam faciendam, de Sacrificii celebratione, ac postremo de gratiarum actione, & quæ sacris peractis agere par est, diligentissimè tractat.

Secundum hæc scripsit etiam de Divina Psalmodia, *ejusque causis, mysteriis, disciplina, deque variis Ecclesiarum ritibus, opus novum metro ac prosa intertextum ac multijugi eruditione illustratum, quod Romæ ac Parisiis excusum, jam pridem manibus omnium teritur: sicut & liber cui titulum fecit:* Manuductio ad Cœlum, medullam continens Sanctorum Patrum & veterum Philosophorum: *quem Angelo tutelari sacrum esse voluit; in quo remedia propinare se, non animi lenocinia fatetur, tametsi utrunque miro artificio conjunxerit.*

Per idem ferè tempus haud dissimilis argumenti Opusculum ab eo publicatum est, inscriptum Via Compendii ad Deum; *quo ejus viæ metam, & ad eam persequendam ducis habendi necessitatem, & impedimenta ab ea retardantia, & virtutes quibus in ultimum usque finem mens humana promovetur, aptissime planissimeque designavit.*

Palmarium ejus Opus *est* de Rebus Liturgicis, *in quo adornando totum septennium, atque eo amplius insumpsit tam prospero successu, ut qui idem argumentum versarunt, ei comparati oleum & operam perdidisse videri possint. Scilicet,*

.... Se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Vix emerserat è prælo admirabilis illa lucubratio, cum ecce perpetuo optimarum rerum fato reprehensores nescio qui adversum eam acriter pugnare cœperunt, ac palam & publicè dicere male factum à Cardinale Bona

quod

quod lib. 1. *cap.* 23. *scripsisset*, *Ecclesiam Latinam fermento olim operatam esse*. *Quorum ille clamoribus nihil commotus*, *verecunde respondit nihil à se asseveratione affirmatum*, *sed opinatione à priscis Scriptoribus ducta solummodo traditum esse*, *Ecclesiam per multos annos azymo ac fermento promiscue usum in re divina*. *Ceterum si qui meliora certioraque docerent*, *iis se haud illibenter concessurum*.

Quam ingenii docilitatem tum maxime præ se tulit, *cum Joannes Mabillon suam de Azimo Dissertationem institueret*, *atque hujus veniam pro honesta indole ab Eminentissimo Cardinale honoris causa poposcisset*; *tantum enim abest ut amicum à scribendo deterruerit*, *quin vero data ad illum elegantissima epistola*, *animos addidit*, *consilio hominem juvit*, *atque Imperio propemodum adegit*, *quo veritas*, *cui soli ambo studebant*, *clarius in dies enitesceret*.

Et hæc quidem magnæ moderationis sunt documenta, *sed illud*, *me judice*, *multò maximum est*, *quod postea gregarium nescio quem scriptorem*, *a quo*, *ut mitissime loquar inverecunde habitus erat*, *ne nomine quidem tenus lacessivit*, *aut ab amicis lacessiri passus est*, *tametsi hominis improbitas animadversione esset dignissima*.

Attamen ut erat in rebus optimis constantissimus, *nihil de pristina sententia remisit*: *verùm eam novis aliquot argumentis firmavit*, *quæ cum in aliis hujus operis editionibus desiderarentur*, *in hacce novissima editione longe auctiore atque ad archetypum ejus manu emendatum exacta*, *licebit reperire*. *Uno hoc solummodo Quintiliani effato falso quidem sed ad rem idoneo adversarium perstrinxit*: Felices artes, si de iis soli artifices judicarent.

Tot tantisque laboribus defunctus, *poterat merito suo à litteris quiescere*, *fracta præsertim valetudine*,

atque aliis studiis animo occupato: Sed homo libris assuetus, & desidiæ impatiens uno opere absoluto, aliud confestim aggrediebatur: quamobrem haud multo post opusculum edidit de Discretione Spirituum, *in quo quantum eruditione, arte, atque usu valeret, planissimè demonstravit. Nec mora fuit, quin continuò prodiret in lucem Libellus* de Principiis vitæ Christianæ, *ubi tanta simplicitas cum religione conjuncta apparet, ut Gersonem* de Imitatione *Christi secutus esse, ac propemodum æquasse visus sit. Porrò illi duo posteriores tractatus a clarissimis viris mira elegantia in linguam Gallicam nuper translati fuere, ut populares nostri, qui latine nescirent, iis familiariter uti possent.*

At nihil toto vitæ suæ decursu singularius admirabiliusve, quod tam variis studiis occupatus totque negotiis privatis publicisque distractus, minutissima quæque pietatis Monasticæ officia nunquam intermisit. Cujus rei testes locupletissimi sunt libri complures ejus manu exarati, atque in ejus schedis reperti. Quorum unus Horologium Asceticum *inscriptus, atque ab eo dudum cum in Claustro ageret in gratiam tironum, quibus se adnumerabat, compositus, totius vitæ spiritalis exercitationes complectitur, in quo singulis propè momentis singula pietatis officia adsignat, ut ne ullum tempus iis vacuum præteriret. Alter liber superiori proximè respondens* Diarium *est eius ipsius vitæ in quo diligentissime adnotavit quem quoque die è cœlitibus singulari devotione colendum susceperit, cujus mysterii meditationi sese potissimum addixerit, quam precipuè virtutem exercuerit; quæ legenti mihi stuporem movent, lacrymas cient, ac ruborem affundunt. Et si verò ea ex se tenuia forsitan ac tironibus solummodò digna nonnullis videri possint, tamen vel eo summa sunt, quod ad supremi Numinis cultum à summo viro ordinata fuere; quod enim ad Dei servitium attinet, parvum non est, quod à tantis viris*

tam

tam studiosè præstitum reperimus, non nisi maximum esse potest. Hinc eleganter, ut omnia, Augustinus: Quod minimum est, minimum est: sed in minimo fidelem esse magnum est.

Atqui cum ita viveret ut moriturum se aliquando sciret, opusculum quoque condiderat De Præparatione ad mortem: *quod quidem in privatos usus adhuc superstes habere voluit, nunc autem eo vita functo publici juris prope diem fiet unà cum* Horologio ascetico, *de quo superius diximus atque aliis nonnullis ejus libris, qui nondum in lucem prodiere.*

Et hæc quidem erant gratiæ divinæ charismata, quorum quanto ditior erat Cardinalis Bona, *tanto pauperior fuit terreni census; quippe qui nulla sacerdotia haberet, ac tenuibus solummodò congiariis vitam toleraret, & dignitatem non ornaret, sed utcumque sustineret. Attamen quia Christiana charitas thesaurus indeficiens est, ut loquitur Augustinus, vel in summa penuria abundans ac diffluens; adeò ut semper adsit quod in pauperem erogetur, si non desit bona voluntas; quæ ipsa charitas est: Joannes noster genium suum defraudans, quidquid è suo corrasisset, egentibus largiebatur, maximè vero Sacerdotibus Gallis qui Romæ degunt, quos Missionarios gentium exterarum appellant, quibus annua vice dispunctis subductisque rationibus residuam pecuniam liberaliter tribuebat.*

Neque porro hic omittendum, priscis temporibus dignum exemplum, quod ab eo editum est. Cùm *unus è Patribus Purpuratis ei quatuor millia nummorum dono misisset, ille iterum ac tertio munus recusavit, ac vix tandem adduci potuit, ut pateretur èam pecuniam ab amico recipi ea lege, ut in pios usus cederet. Cessit, nam ab eo donata est Patribus Missionis supra nominatæ, ut testatum habemus à R. P. Simone, eorum nunc Præposito, quod præclarius est ad memoriam optimi Cardi-*

na-

nalis, quam si miracula quævis perpetrasset. Quid illo inope ditius, qui pauperes Christi *sua munificentia fovit, aluit, dotavit? Tam honestam, tam sanctam, tam illibatam, tam denique reipublicæ Christianæ quæstuosam ac necessariam vitam, immortalem esse oportuit si non* omnibus hominibus mori decretum esset, *neque porrò dignus erat mundus, qui tantum virum diutius caperet. Is verò jam æternitati maturus, dignissimus erat, qui cælo inferretur. Febribus igitur correptus, bisque ad quintum et tricesimum usque diem continenter, exustus, quo fragilitatis humanæ reliquiæ perpurgarentur, atque anima purior ad auctorem suum commigraret, tandem sacris christianis integris sensibus ritè perceptis, constanti animo mortem obiit quinto Kalend. Novembris anno Domini MDCLXXIV. Corpus ejus funere elatum, in Monasterio S. Bernardi ad Thermas conditum est. cui Coenobio Bibliothecam suam ac quod reliquum habebat tenuis supellectilis Testamento legavit, vasa argentea quæ a clarissimo D. I. G. Slusio, equos & rhedas. quæ ab Eminentissimo Cardinale Rospigliosio dono acceperat, quum purpura auctus est, iisdem moriens cum grati animi significatione remisit; atque ut esset etiam post fatum munificus famulitio suo sex mensium stipem assignavit: atque insuper constituit, ut in conducta a se domo per idem tempus hospitarentur, ac suo ipsius sumptu alerentur. Atqui cum omnium meminisset quibuscum aliqua ei necessitudo intercesserat, de parentibus ne verbum quidem fecit, adeo à carnis & sanguinis sensu, & a fastu seculi erat alienus; quin verò ab amico admonitus, ut adsignata sibi congiaria [pensiones vocant] cum bona Pontificis venia in aliquem è consanguineis transferret, dignam se sententiam retulit:* Ecclesiæ bona non esse ditandis augendis've affinibus & consanguineis, sed alendis pauperibus destinata.

AD-

ADDENDA.

Cardinalis Bona primo pietatem, & litteras coluit in Collegio PP. S. J. Montis Regalis, ut ipſemet ſcripſit in opere cui titulus = *Pſallentis Eccleſiæ Harmonia* (quod nunc extat in Bibliotheca ejuſdem) his verbis: *Colleg. S. J. Montis Regalis, in quo ad pietatem & litteras per quinquennium educatus fui, hanc meam exiguam lucubrationem grati animi offero, ut unde exierunt aquæ, illuc revertantur, ut iterum fluant. D. Joh. Bona Congreg. S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Abbas.*

De Mandato &c.

Vidit Jo. Dominicus Mansi
Congr. Matris Dei.

SILVESTER ORSUCCI ILLUSTRISS. OFFIC. SUPER JURISD. PRÆP.

JO. IGNATIUS LIPPI ARCHIPRESB. & VIC. GEN.

PARS I.

EPISTOLARUM AD CARD. BONA

בשם אדר

EPISTOLA I.

PATERNITATIS VESTRÆ.

E Monast. Teston. Fr. Hier. a S. Roberto 1632.



UAS accepi, ex quibus uberes tuorum laborum fructus deguſtavi. Quid a me Phyſicos vel Dæmoniacos Magicæ Auſcultationis Paradoxopæos inquiris? Tecum habita, & noris quàm ſit mihi curta Supellex. Tibi, tibi, inquam, Solis menſa in hymnoſophiſtarum extruitur Sabulo, dum ego nudior Leberide adhuc ſub egenis elementis laciniosa Hebræorum Stragula tamquam auri ramenta in animi mei peculium coacervare tento. Sunt hæc mihi Cerva chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, in cujus amore jugiter delector. Tu autem bibe aquam de Ciſterna tua, quin etiam deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Quia tamen, licet in omnem ſcientiarum fœcundam ſegetem falcem immiſeris, cum rudioribus etiam ſermocinari non dedignaris, mitto

quem expetis Bartassum, ac amoris Magiam idiomate hetrusco conscriptam. Si tibi præ foribus essent Bodini Dæmonomania, Peuceri de Divinatione Tractatus, Pomponatius de Incantationibus, Baptistæ Porta Magia naturalis; hi omnes animo tuo forsitan nonnihil Geometrico dignum pulvere suppeditarent. Ficinum præcipue velim adeas in Platonis Alcibiadem, et 4. quem edidit de animorum immortalitate librum. Cecinit & de his Franciscus Georgius Harm. lib. 4. & 7. Ipsum tamen Heroico, vel potius Hyporchematico præcessit pede Statius in sua Thebaide; hic a Lucano Pharsalidis 6. mutuavit. Flocci haud faciendus Pererius quem cum in Exodum, tum in Danielis Prophetiam in votis tibi esse opto. Antiquarios vel in dicendo mutilos, vel judicio attritos consultò prætermitto, eorum namque adita jamdiu reserasti. Cæterum continuus dolor cordi meo, quippe cum diligenter de criminosis hominis illius actibus inquiram: Postquam enim in terra Sanctorum iniqua gessit, ad Madianitas se transtulit, & Mirmidonibus, Dolopibusque exuto fidelitatis cingulo, excusso de cervicibus jugo, ac violato fraternæ pacis fœdere emeritus non emeritus miles fœdifragus manum dedit. Ne itaque sanguis ejus e manu mea exquiratur, quid ille gesserit, in quibus deliquerit, quomodo, quibus auxiliis, quoties, cur, adhuc fideliter exquiro. Occultè multa gessit, cumque ei rem totam veluti acu (ut ajunt) tetigissem, proprio rubore suffusus, acerbiora metuens tumultuario pede gregarius & dispalatus aufugit. Jam nobis luce clariora illius consilia innotescunt. Vale. E Monasterio nostro Testonen. 16 Kal. Jan. a Repar. Sal. An. 1632.

Addictissimus

F. Hieronymus a S. Rob.

EPI-

EPISTOLA II.

Domino Joanni a S. Caterina.

Fr. Hier. a S. Rob.

QUid est quod moræ impatientissimus consuetas a me literas exposcis, quas non nisi amaritudine propemodum amarissima conspersas dare possum? Discrucior, quoties ad amicos nostræ Conversationis & Monastici gymnicæi congressus oculos verto. Sed per patientiam & consolationem Scripturarum spes mihi in Deo multa. Ipse enim quod Abrahæ, hoc mihi intus sæpe loquitur. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Proinde neque tu animo despondeas, si verbosas obtrectatorum nænias nequis fugiendo præterire; labora sicut bonus miles. Nunquam sine Aristarco Homerus, neque sine Momo Roscius. Stat is ex Orchestra aut pugiles in Sabulo cæstibus ludentes digito ostentans aut Athletas oleo perunctos subsannans, aut spongiariis gladiatoribus sanguine cruentatis myrrhinam propinans; vel nodosa bestiarum congressibus retia in arena expandens. Vita hæc quid nisi lusus? Sunt & hic caveæ agresti ferarum copia promiscue degentium, horrisonæ, quibus haud inconcinne illud Maronis Æneidos septimo occinimus, cum de Circæis transmutationibus sic effatur.

Hinc exaudiri gemitus, iræque Leonum
Vincla recusantum, & sæva sub nocte rudentum,
Setigerique sues atque in præsepibus Ursi
Sævire ac formæ magnorum ululare Luporum.

Sunt hic pugiles, Athletæ, & gymnii omnes, eo crudeliores, quo necem diviniori hominis parti temerè præsentant. An non feræ quicumque sub germanæ charitatis pallio ad instar Transtyberini ambulatoris, qui

fuſurata fractis, ut luſit Martialis, permutat vitris, pro ovo Scorpionem porrigit, Serpentem verò pro Piſce? Qui hujuſmodi ſunt, alia in ore, hisque multùm diſſona in corde mandunt; quæ deinde amarulentiæ dentibus ruminantes ad os denuo regurgitant; excolentes culicem, & deglutientes camelum. Plura hi tibi effuſo verborum apparatu pollicentur, ſed pollicitationibus (inquiunt) haud quaquam ſtandum; hoc enim mercatorum eſt, illud regium. O perverſitas maxima! O ſubdola malignantium theca! Fallaciſſimi nundinatores, nugatores potius, ludiones, circumforanei, rumigeruli, blaterones, ſaccularii, battologi, loquutulei, viri ſummi prophetæ illuſores. Miror quod ii qui ſub veritatis militant ſtipendiis, mendaciis in tui perniciem (ſi quam tu putas) ſordeſcant. Putabam Pharſalicum illud, nullam ſcilicet iis ineſſe fidem ac pietatem qui regum gentium dumtaxat ſequuntur caſtra; ſed, en neſcio quomodo & lues hæc inter quoſdam ex illis latenter quidem, late jam tamen irrepſerit, de quibus legeram: Caſtra Dei ſunt hæc; quorum militaris inceſſus & ornatus terribilis proclamatur ut caſtrorum acies ordinata. Ludunt, ludunt, ſed dum nobis illudere geſtiunt, ſe miſellos incaute deludere non advertunt. Miraris quod bonarum artium ſemina plerique deſpiciant; ſed ne mireris: Cantio hæc non eſt ab heri & nudius tertius, ſed ab exortu Inſtituti noſtri; nam qui primus ſuaſu Reformatoris noſtri ſtudiorum tyrocinia apud nos exerceri audacter tentavit, & ne tepeſcente spiritûs fervore ſenſim ad ima premeremur, ut Monaſticis ſimul ac litterariis aſſueſceremus animis diſſertationibus ſapienter admonuit: tandiu veluti ſi virus in monaſticam Rempublicam intuliſſet clamoribus & divexationibus exagitarunt, ut ſatius ipſe duxerit a cœtu noſtro egredi, ac ad primos ire moderatioris Inſtituti noſtri Cœnobitas, a quibus ut homo, aut potius Angelus e Cœ-

lo

lo delapſus, omni charitatis officio exceptus eſt. Sed non diu lucerna hæc ſub modio fumans latere potuit, nam ad Epiſcopatus infulas poſt biennium, ut ajunt, aſſumptus populum ſibi concreditum ſaniori doctrina, quam zelo perciti ſed non ſecundum ſcientiam, ut eventus comprobavit, quidam ex primoribus inter nos rejecerant, enutrivit. Poëſim inſuper, & muſicam, & Matheſis reliqua, & humanioris literaturæ volumina; & quidquid ingenio optimarum diſciplinarum cupidiſſimo allubeſcit, calumniantur, exhorreſcunt ad nomen, & e calcaria, ut ajunt, in carbonariam projiciunt, teque ut ſuperſtitioſum ac male feriatum Monachum Civitatis inſimulant, genium criminantur, lucubramenta ut religioſorum ſcandala ſannis convellunt, & quaſi ſerpentes in ſilentio mordent, tuæque famæ haud multum providi calumnias ſtruunt, dum in ſecreto calami occulte detrahunt, ac inde obtrectationis proboſcide extenſa quaſi tuba exaltant vocem ſuam, & ſpiritum labiorum ſuorum, non impium interficere, (quamvis haud ambias in ſermonibus meis juſtificari) ſed juſtitiæ, ſed ſapientiæ amatorem. At hujuſmodi in bonarum artium ſtudia garritus videretur quodammodo ſpernendus, neque ut ominoſus curioſa dignus augurum obſervatione, ſi non, & ex obliquo Theologicam ipſam carperent auſcultationem, quam ne biennio quidem quoquomodo perditis, melius dicam, famelicis deguſtare labiis patiuntur, jamque anxiè quæritant, ſi non ad tam operoſæ molis faſtigium pervenerim, ſaltem an illius medietatem ſolus ipſe abſque ſocio tot regularis obſervantiæ asperitatibus ſeptus vix per annum abſolverim: quibus, cum ne quidem cœpti ædificio quadrante perfeciſſe reſpondeam, ad me tingendo converſi illud vociferantur, ut quid perditio hæc? Sufficit ad capeſſenda tantarum diſputationum arcana unum aut

alte-

alterum evolviſſe Tractatum; nos enim neque ipſam Primam, ut vocant, Partem, ex integro sub Præceptoris disciplina percepimus. Satis superque ſi vel ipſa ſanctioris hujus doctrinæ prolegomena attingas; hæc namque ſi gnariter aſſecutus fueris, egregiam te in re litteraria operam navaſſe ſcias. Nonne & ipſi Jurisconſultiſſimi tum ſe primo digeſta evolvere fatentur cum laurea donantur? Denique Oceanus eſt Theologica Facultas, cujus fundum ne Patres ipſi potuerunt, quantumvis urinatores perſpicaciſſimi adſpicere, nedum uniones ac muricem ex obliquis conchyliorum receptaculis expiſcari. Uvidum etiamſi tendas argumentorum rete, rationum curriculo hæreticorum dorſa confodias, Scripturarum naſſis Sophiſtarum argutias ſapienter concludas, ipſoque prævio fidei lumine maris hujus vitrei littora perluſtres, & ut Cancrorum piſcatores difficultates omnes ex aquatili latebra, implexoque e viminibus cespite extrahere coneris, fruſtra divitias adinvenire contendis, mortalium oculis ſubmotas. Submergeris potius, & deſilienre pede detraheris in profundum. An neſcis calamitoſam hanc lucis uſuram ſalutaribus ſacratum literarum paginis veluti facibus confovendam? Interea dum hæc quidam Caſoniano efferunt ſupercilio, quaſi pulvillos ſub omni cubito conſuunt ignemque ſuccendunt, ut placentam faciant, quam mactatis murmurationum hoſtiis ſuper cordium puſillorum altare, Ignorantiæ famigeratiſſimæ errorum omnium reginæ non ſine spectantium lacrymis quam devotiſſimè litent. Et tamen ex hoc noſtro qualicumque Gymnaſio, licet me non alterum Gamalielem exhibeam, Saulos, Barnabas, Lucas, viros undequaque doctiſſimos, acerrimos Evangelicæ veritatis præcones ac vindices, nec non quod a confeſſionibus præſto ſint, ipſis Canonicarum Sanctionum apprimè excultis æquiparandos in lucem populorum jam jam pro-

dcun-

deuntes avidissimè præstolantur. Hæc sunt quæ toties recantantur, ut Ipso jam Nilo loquaciores videamur. Quis mihi det ut sim juxta dies pristinos, aut saltem maturiori ævo superstes monachorum videam examina per uberrimos scripturarum campos divinarum Conceptionum flores legentia, jucundissimo doctrinarum omnium susurro bombysantia, regem suum tetricitatis aculeo carentem circumstipantia, ignavos excludentia fucos, in cellulis mellificantia, orationum jaculis ludentia, ad pulveris humillimæ cognitionis sui jactura conticentia, in unum ad Psalmorum concentum cœlestis amoris glutino coëuntia, caste religiosorum Sobolem propagantia? Vix unus aut alter est qui Benedicti tempora, qui Hieronymi, Chrysogoni, Cassiodori, Damasceni, Bedæ, Alcuini, Rhabani, Anselmi, H rmanni, & aliorum ex omni Monachorum propagine Sanctissimorum juxta, ac doctissimorum lucubramenta diligenter evolvat. Ubinam qui studium unde Theodorus studita dictus, qui Fuldam, unde Strabo, Rodulphus, Marianus, Scotus, & alii, qui Academias Alexandriæ a Sanctissimis Monachis excultas ac magnificentissimè erectas, qui scholas tum Nisibi, tum in hac Urbe, teste Cassiodoro, sub Agapeto institutas paululum accuratè dispiciat? Obsoleta sunt hæc, antiquata; jam hæc omnia temporis edacitas consumpsit, ex animo delevit, extinxit, profligavit. Sed jam non causor, neque prorsus indignabundus in studiorum invehor incuriam: scio, optime novi Monachorum munus in luctu potius quàm in doctrina situm; doleo autem, quod ob pessundatam divinarum humanarumque rerum cognitionem, qui ex animo forma facti gregis esse deberent, neque inter Lepram & Lepram juxta divinum Oraculum prudenti cordis indagine discernere, neque æternæ vitæ pabula ovibus subjicere, neque scopulos queunt horrendasque cautes iter salutis propedientes malleo

leo divini verbi perfringere, ac abruptam semitam exinde planam, & a latrunculis qui dum peregrinamur a Domino prætereuntibus callidè insidiantur tutam reddere. Et tamen quotidie legitur, duplici doctrina debere Præsulem & Abbatem suis præesse. Da mihi Petrum a S. Bernardo, Ludovicum a S. Malachia, Josephum a S. Germano, Gulielmum a S. Genovepha, Bernardum Aureæ Vallis Abbatem, Franciscum a S. Maria Magdalena, Joannem a S. Stephano, & alios hujus notæ homines, qui doctissimi tum a Domino, tum omni sæculari & Ecclesiastica literatura instructi Institutum nostrum amplexi jamdudum doctrina ac sanctitate floruerunt; tum libentissimè dextram porrigam, neque amplius de plurium inscitia, vel de studiorum erectione causabor. Non immoror in recensendis nasutiorum quorundam, nescio an cavillationibus, vel magis, ut arbitror ex hebetiori intuitu argumentationibus; dum eos qui rei litterariæ se diu noctuque addicunt, tanquam monasticæ palestræ desertores proscindunt, ac nefas putant iisdem tres saltem horas pomeridianas, ut fesso spiritui aliquantulum indulgeatur, semel in hebdomada concedi. Jam de libris seligendis non est cur verba frustra effundam. En hac ipsa die, dum permutatione tamen, non in numerato, libros pro libris, iisque optimis tradere percupio, nimirum in Hebraicas Bibliorum Concordantias quatuor voluminibus distinctas tres Fausti nostri Tomos commutare, si duos vel circiter demas, reliqui utriusque domus nostræ in Christi patrimonium dissipantem adoriuntur: & tamen cellam habemus hujus Doctoris nostri Codicibus oppletam. Quod si aut Ægyptiorum mysteria a Jamblico eruditissimè enucleata, aut subsannantis Luciani Philopatrem, aut veterum Poëtarum Commentaria; aut cabalam extrajudiciariam, aut Paraphrasticas Rabbinorum in Sacros Codices enarrationes, aut Mystagicos

gicos Fabularum recessus enitor in unum congerere, & Historicorum, aliorumque præclara antiquitatis monumenta in Bibliothecam nostram intrudere (sic namque mihi loquendum est) qualis murmurantium garritus? Et tamen hæc omnia a Patribus ipsis[quorum voluminibus ditamur] ad retundendam Judæorum perfidiam, Græcorum impietatem, Hæreticorum vesaniam, ac superstitiosos gentium quarumcumque cultus post divini eloquii Doctores, plurimum auctoritatis nacta fuisse, nemo est qui ambigat; quin & ad plurima sacræ paginæ loca ambagibus circumplexa recte enucleanda sæcularis literaturæ peritia quantopere conduxerit, sciunt ipsi Ecclesiæ magistri. Sed quid, si aliquis ex nostris aliquid ex Patrum gazophylacio ac penu ditissimo in unum attexere, & prælo mandare ambiat? Vides ne, inquiunt, homuncionem hunc perpetuum suæ inscitiæ trophæum erigere molientem? Ne unum quidem adhuc reperi ex his etiam qui mihi addictissimi videntur, qui Itinerarium, Orationes, librum de ira Dei, accuratissimum de divinis attributis Tractatum, in primi Sæculi seu Ecclesiasticæ Centuriæ Patres, quas conciso commate notulas digessi, aveat lectitare; nam vel laborem irrident; aut ad librorum inscriptionem sunt etiam qui frendant; nam de Poëmatibus non est cur ne pagellam quidem ostentem, cum vel puerilia, vel ab aliis auctoribus carptim excerpta censeantur. Id in causa est, ut vel ipsam in meum Prophetam locupletissimam sylvam non nisi lucernæ lumine, uberiorem in dies reddere præsumpserim. Egregiè Picus Mirandulanus in suo ad Innocentium VIII. Apologetico: Horrendum enim, ait, istis Patribus videtur hoc nomen (Cabala) & ex ipso penè sono timendum, ita ut forte sint ex ipsis, qui Cabalistas non homines, sed hircocervos potius, vel Centaurum, vel omnino monstruosum aliquid esse suspicentur: quinimo audi rem ridiculam, cum semel quidam ex

eis interrogaretur, quid esset Cabala; respondit ille fuisse perfidum quidem hominem & diabolicum, qui dictus est Cabala, & hunc multa contra Christum scripsisse, inde sequaces ejus dictos Cabalitas. Quis quæso hic risum teneat? Sic Mirandulanus. Verum enim vero culpam hanc in hujusce tempestatis malignitatem ablego, in qua segnitie turpiter apud quosdam crescente, crevit in otio mentis hebetudo. Hinc quorumlibet inolita Auctorum, aut disciplinarum appellatio, illorum aures ut quid terrificum percellit. Trioboli homines, quibus angustos præfixit natura limites. Mentior, si quendam audito Averrois nomine, Aricebronis, & Algazelis non inhorruerit, ac si tercentum vocassem ore Deos, ut canit Maro, tergeminamque Hecatem, tria Virginis ora Dianæ, aut Pomonæ, Cereri, & Libero patri litassem. Cui cum obiicerem me hos eosdem Auctores ab Aquinate invenisse citatos, nedum ab aliis; subjecit me neque esse Sanctum ut Aquinatem, qui scirem aurum ex fimo colligere, ac velut propheticus puer reprobare malum & eligere bonum; sibique satis persuasum, talem virum nonnisi in ultima senectute Ethnicos hujusmodi Auctores lectitasse, utpote Christianorum Dogmatum corruptores. Perbelle, inquam dixisti, Pater. Ut video, conclusionem præmissis, & rhedam bobus præmittis, dum Philosophos, post sacra literarum studia legendos astruis. Rursum, an ne Philosophi quia Ethnici neutiquam evolvendi? Basilium appello de utilitate capienda ex Gentilium libris differentem. Est namque hoc [testibus Hieronymo & Augustino] Ægypti spolia auferre, gigantem proprio mucrone confodere, clavam e manu Herculis extrahere, mulieris captivæ radere caput ac supercilia, omnesque pilos, & ungues amputare. Is tamen gloriabundus ut palmam ex me referens discessit. Sed enim in his non immorandum; nam si ipsum subinde interrogassem, licuit ne Apostolis uti legalibus postquam Christus

Do-

Dominus Cœlos conſcendit? Poſtquam ipſis Apoſtolis virtute ex alto indutis, apparuerunt dispartitæ linguæ tamquam ignis, feditque Spiritus Sanctus ſupra ſingulos eorum? Poſtquam in Hieroſolymitano Concilio viſum eſt Spiritui Sancto & illis nihil ultra legis Moſaycæ oneris imponere credentibus? Nequaquam respondiſſet. Et tamen ipſe Petrus Hieroſolymis ſe ad templi ingreſſum purificavit cum Judæis, & Paulus more Nazaræorum totondit caput Cenchreis, & Timotheum ex gentibus aſſumptum circumcidit. Nonne vides Paulum Judæis Judæum factum? Et quidem reprehenſibilis forſam videri potuit, ut ipſe Petrum Apoſtolorum verticem reprehenſibilem datis ad Galatas literis palam aſtruxit, ni uterque id conſulte egiſſet, quo facilius fidei Judæorum cordibus (quorum difficilior ad Chriſtianam Catecheſim capeſſendam mens erat) infundendæ locus pararetur. Perperam egerunt itaque legalia aliquandiu novellis diſcipulorum plantationibus permittendo? Injurii Deo fortaſſe? Apoſtolorum Canonum fœdifragi? Abſit. Quid ergo nos inſectantur, ſi quia religionis triplici conſtricti nexu, ſi ſacris mancipati ſtudiis, humaniorum literarum ſemina adlegimus, & in clauſtrorum arva deferimus, ſimulque impigro cultu hæc cuſata cum propheticis Codicibus repaſtinamus? Suaſio hæc non eſt ex Deo. Cæſaris Provinciæ limen erat Rubicon amnis, quem tamen ni ipſe animi magnitudine ſuperaſſet, de Pompejo victor haudquaquam extitiſſet. Eſt, non inficior ab Apoſtolo cuilibet Eccleſiaſtæ, & Eccleſiæ magiſtro limen poſitum, nimirum, Prophanas devita vocum novitates. Quid inde? Non licuit Patribus ad veritatis Catholicæ fulcimentum, & orthodoxam fidem credentibus tradendam alias adinvenire voces præter nobis a Sacris Codicibus ſuppeditatas? Ad quod nomen hypoſtaſis, homouſion, Patris ingignentia? Ut quid toties pro notionibus, relationibus, & perſonis digla-

diamur? Posteriora hæc nihil omnino negotii facessunt apud Scholasticos. Tria nihilo secius priora non nisi pervigili mentis acumine, cui spiritus omnia perspiciens arridebat, adinventa, neque sine sanguinis effusione in ipsis Codicibus expressa fuere. Testes sint, Nicenum, Ariminense, & Sardicense Concilium; Testis locupletissimus Hieronymus, qui, taceantur, inquit, tres hypostases, si placet, & una teneatur. Et subdit: Venenum sub melle latet. Nec mirum, cum nomen hoc utpote æquivocum, insidias apud Sophoclem innuat, apud Apostolum accidens; quin ipsi Medici fæcis sedimentum hypostasem dicunt, & Menander juris condimentum pro eadem usurpat hypostasis voce. Vides quale sub una vocula lateat venenum? Hoc tamen qualecumque virus tamquam ex argento scoria, ex vino amurca, ex frumento palea, e plumbo excrementum, e vino foex decoctum, eliquatum, & perpurgatum, ad personarum proprietates exprimendas translatum est, ostensumque vocem hanc non barbaram, sed usibus nostris accommodam, non recentem, sed antiquam, non scripturis sanctis adversam, sed in ipsis utpote jamdiu latentem, proprium semper obtinuisse significatum; totamque improprietatem si quam habet in ipsam vocabuli analogiam ad res creatas, esse referendam. De Homousio quale certamen, quale, inquam, incendium, quod totum pene orbem conflagravit, dum inconsutilem Christi Tunicam Ariani Homausio, Sabelliani Synusio, Semiariani Eterusio discindere conarentur? Et tamen verbi consubstantialitatem cum Patre per homousion expressam noverunt Patres. Sic & ingeniti ac innascibilis voces iisdem Patribus displicuisse scimus, unde vanam esse institutionem hujus vocis sensit Athanasius, nihilque aliud in se continere, nisi meram præstigiationem. Attamen idemmet acerrimus Christianæ Institutionis propugnator tandem cum sanctissimis & orthodoxis Nicæni Concilii

cilii Patribus proprium fassus est esse Patris Ingenitum seu non genitum esse; innatum, & innascibilem. Jam verò quæ in veritatis fronte, ac sapientiæ vestibulo sunt lippis ipsis conspicua, hæc eadem ita propemodum esse, cur supervacaneis studeo demonstrationibus testificari? Quandoquidem hoc esset lucidissimis circumfulgentis undique luminibus Solis præbere facem. Malum itaque doctrinarum usum, non rem ipsam alioquin bonam, seu adiaphoram saltem insectemur. Apposité sanè Nazianzenus oratione, quam habuit de laudibus Basilii, quemadmodum inquit, nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res ulla alia suapte natura vel maximè utilis est vel maximè noxia; verùm ut iis, qui utuntur, placet; atque adeò ex Serpentibus bestiis quosdam interdum salutaribus medicamentis admiscemus: eodem nos quoque modo ex literis illis & disciplinis, id sane quod in inquirenda rerum natura & cognitione, versatur, suscepimus. Quicquid autem ad dæmones, & errorem, & exitii voraginem ducit, respuimus: imò etiam ab eo ad Dei cultum adjuti sumus, nimirum ex deteriori, id quod præstantius est cognoscentes, atque illorum imbecillitate, doctrinam nostram fulcientes. Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur: quin potius stulti atque imperiti hujusmodi sunt qui hoc existimant; qui omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat, & coarguat. Aureum profectò dictum. Verùm immoderatè, ut video, dum Epistolas reddo, Apologeticum confercio. Supersedeo igitur. Et quod hic referam, si non audisti, nimirum Sanctæ Martinæ illustrissimæ martyris corpus nuperrime detectum dum latomi illius Confessionem ad radicem Capitolii prope arcum Septimii Severi positam, vetustate collabentem, instaurarent; simulque ibidem detecta fuere Corpora Sanctorum Calipodii & Epiphanii

Mar-

Martyrum, triumque dierum spatio super majus altare spectantibus exposita, ad eaque invisenda & devotissimè colenda frequentissimus Populi Romani & Peregrinorum cœtus accessit. Obiit Virgo hæc, & Martyr quo tempore Urbanus hujus nominis primus ad navalis Ecclesiæ clavum præsidebat; rursumque sub Urbano VIII. mortalibus revixit dum ipsius charissima pignora gratiarum munifica hodie a Fidelibus visitantur. Vel hoc unum postremò audi. Nox quæ Thomæ Apostoli festum subsequitur Urbs qua Tyberim perspectat, suum extremum gemebunda præstolabatur excidium, dum casu prope Campum Floræ, via quæ vulgo dicitur, *de Giupponari*, penè tota conflagravit. Quatuor namque domus cum nobiliori ditiorique supellectili ignibus absumptæ, jam permagnificum Illustrissimæ Dominæ Constantiæ Palatium ignis ater corripere tentabat; & ipsa flamma immensis voluminibus contorta, ac infensissimo flante Borea ultrò exagitata, per cæcas noctis tenebras ludibunda circumstrepebat, lambensque Barberinorum Palatii fores, pabulum hinc inde quæritabat. Accurrebant omnes mixtim vociferantes, misericordiam, opemque desuper efflagitantes. Neronianum illud dixisses incendium, aut cum Pacis delubrum totum & ingentes Palatii Bibliothecæ incendio conflagrarunt, quo tempore plures ex ...., libris qui illic erant sepositi prorsus interierunt, ut ipse dolens in exordio primi de compositione medicamentorum libri commemorat. Ergo cum neque amplius aquæ copia ad volitantis flammæ sitim extinguendam suppeditari posset, sed latius circumquaque desæviret, allatum est sanctum venerandumque e vicina æde Sacra Christi Corpus, & ad hostilis flammæ conspectum, qua irremediabiliter grassabatur, objectum. Res mira Cœlum tum sudum collectis extemplo nubibus, copiosissimos dedit imbres; sicque ineluctabili ignium vi refracta, omnes qui circum aderant in admirationem conversi, Deum,

Deum, cui omnia vivunt, pariter collaudarunt. Vale mi Pater dulcissime, & dum simul cum Epistola annum sexcentesimum trigesimum quartum supra millesimum claudo, ventura solemnia novi anni exordia tibi auspicatissima ab eo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, instantissime deposco.

Fr. Hieronymus a S. Roberto.

EPISTOLA III.

REVERENDISSIME PATER.

Domi Gaspar Franciscus Mongrandus 1650.

ITA hæret animo meo memoria virtutis tuæ, ut etiam inter somnos mens mea ad tui laudes evigilet. Credo ut putet me adhuc somniare, cum hos nescio ingenii an phantasiæ lusus ad te mittam: antelucanis horis lux mihi certe non affuit, immo inquies corporis, nox longa, durities tori, adfuere ministræ: nosces si ex his aliquid boni scatere potest, quod tamen vigil recte tribuere nequeo, saltem a somnoculoso accipias; parcent famæ tuæ qui ista legerint, cum nihil adimere videatur is qui cum esset in somnis quæ debuerat non rescripsit. Vale.

Reverendiss. Tuæ Paternitatis
Domi Pridie Idus Martii 1650.
Humillimus Servus
Gaspar Franciscus Mongrandus V. Se.

AB-

Gaspar Franciscus Mongrandus.

ABBAS JOANNES BONA.

Faustum omne est quod exorditur a Bono
Cognomento Bono major totus optimus
Montis Regalis Civis in Vico S. Mariæ Ordinis S. Bernardi Abbas.
Mons quia Corona regalis est non nisi regios Cives facit.
Ubi Coronæ ibi etiam multi proceres
Inter tot qui regalem hujus montis Coronam benemeriti fuerint multi qui melius quem te nullus
Tantæ Virtutis quam Bona est Sors
Excellens ut habearis altiori non eges Aura
Quos septem Collis evexit ad Purpuram Solus hic te evexit ad gloriam
A monte ad montes Eminens jam iter est & Plana via
Quos fama evexit in altum hi securius suis alis omnia abradunt culmina
Sapientissime Psaltis tu quoque nasceris in Coronis
Ita redolet Canticum divinitatem, ut si locus in quo degis Ifericus haud esset hunc faceres
Divina ars docentis eloquium cum Deo est.
Qui Davidis lyram docet quam Filio David est gratior qui suscitat Patrem
Josue fortunatior Deum sistis
Inventus est qui tanto plectro nostras ærumnas fugas
Summe Magister
Divino cum corde consona jam corda Reddis.
Major Amphione qui Hierusalem struere paras
Hæc septem vocum Discrimina Dei septem jurantur Dona
Bonus Fur.
Menseris hominem si alter secundum cor Dei similis places Deo

Ad verum Apollinem acceſſiſti qui in montibus ad muſas videbaris aſcendere
Laurus tua major erit quæ in Cœlis radices egit
Prope inquam & Virginem factus cujus in montibus fundamenta
Tantæ Baſis erat hæc moles tua
Quid ni e Virginis Sacrario laudes Dei edIceres
Moyſes e proxima Nube Dei alter pene Deus evaſit
Vigil Paſtor
Ante lucanis Horis Quantus tibi manavit Ros
Ab hinc quo Sol eſt ortus non niſi quam in tuis paginis dulcius mella ſcatent
Operarii meſſis citra Ordinem mercedem habent
Qui ſero venit non tantum accipit
In hoc Joannes te eſſe perhibes quo citius præcurris
Manhu colligere Doces jam poſt Auroram evanuit
Poſt deperditos bonos mores juſtus datur Canon
Canonicis viatur Horis quilibet Cuſtos Gregis
Furtive numquam adveniet Lupus
lux ſemper aderit
Quam ſferam rotas doctiſſime Arologe
In ortu diei Solem jam medio axe libras
Splendidiorem nunc Senium a tenebris lucem novi
Splendidior certa media conſurgit nocte
At semper inquies nobis?
Quieſcit ſemper qui cum tali evigilat Sole
Diurni Solis & Lunæ nulla eſt quies
Perge Vigil
Bonus Paſtor Animam Bonam Ovibus tuis donas
Viam quam bene pergas cognoſceris
Semitam bonam qui non novit egrediatur in Vicum
Sponsa ſi impoſterum hiſce horis circuet Vicos, inveniet Dilectum ſuum
Cantica jam ſunt Jubilantis
Tota mellea

Quæ Apollinei fontis bibebant aquam
Cessere tibi Magni Bernardi Filio qui de lacteo parentis fonte bibis
Tanta Musa hæc tua est; at Prosa hæc tanta est; utraque suppar est
A Musis si primum laudes altera secunda erit
At illa secunda non est
Utramque Primam dixero Divinitas in illis una est
Prodigalitas Progeniei fuit ut tot Virtutes in te uno complecteretur
Quæ singulæ tot celebres redderent, te omnium dona facerent singularem
Non est quod in tanta Progenie Bona aliquid hinc boni desit
Sed cum te fecerit nullo alio bono gaudet
Deficeret imposterum a felicissimo partu cum se
Majorem aut parem exhibere non possit.
Vive Diu
Se Tibi Vovet
G. S. *Mongrandus V. S.*

EPISTOLA IV.

Reverendissimo in Christo Patri nec non Viro Eruditissimo D. D. Joanni Bona a S. Catharina Suæ Congregationis Bernardinæ Moderatori seu Generali meritiss. F. Petrus a S. Maria Fuliensium Monachorum Minimus.

Florentiæ Petrus a S. Mariæ Fuliensium Monachorum Minimus 1653.

GRatias ago tibi quam amplissimas Pater Optime quod meam de tuo illo divino opere circa nostrum divi-

divinum melos sententiam tibi a nostro Rev. Procuratore Generali renunciatam ea cum animi benignitate exceperis. Genuam fateor, si quis a me quæreret, dicerem congeriem esse ditissimam; & rerum pulcherrimarum Caos pulcherrimum cui sive artis præstantia sive materiei dignitate, nec oculus, ut puto, videt, nec auris audit quod conferatur. Albaria sola vestra, Sapientissime moderator, ex tot & tantis quid aliud est quam ludus & ostentatio Reginæ ἀρχιτεκτονικμο delectabilis, in qua nec Palatium deest Monasterio, nec Monasterium differt a Palatio, tanta in illa est consensio & tam inaudita temperies religiositatis cum venustate, & magnificentiæ cum modestia. At vero quod paucos illos dies quos tuorum charitati quæ urgebat me, denegare non potis fui clariores multos fecit & chariores dicam ingenue, Ingenii tui præstantissimi fuit tam felix quam insperatus occursus, & cum aureo tuo libello convictus frequentissimus simul & subcisivus. At quæ tu de teipso non potes non nosse, qui omnia nosti, tibimet ipsi sigillatim magis expandere nec tua fert modestia, nec importunæ & Viro indecoræ religioso adulationis permittit ratio. Perfecisti, sane Pater, perfecisti rem grandem, & dignissimum opus heroe viro; devictum scilicet a te & enecatum Proverbium istud quod jurgantes semper interesse, & ejusdem contubernii & moris inimicos ad nos usque obstinate pronunciavit. Judicium Summum, & inexhaustam memoriam! hujusce tuæ victoriæ, hujusce tui Triumphi tot sunt monumenta quot pagellæ tui libri. Ordinatio quippe nusquam hians aut interrupta Judicii fundum demonstrat & solidum, & memoriæ complexum & immensam περισφερίαι tot tantæque divitiæ simul & delitiæ. Sed cum Tibi etiam contra mentem de te ipso mentem meam non potuerim non exprimere, quid de me prorsus ignotissimo, de me verissime nullo & anonymo, & de me tantillo denique viro vir tante

debes ſentire? Ignoſce Pater, ignoſce impotentis jubilo animæ quæ ſe non patitur intra metas & gyras ſuas amplius cohiberi ad tui ſcilicet novi Sudoris novum Jubar. Exulto fateor, & totus pene fio & tympanum & cythara cum recogito ſub cuculla ſaltem adhuc noſtra & ſocculis tot recondi tot latitare theſauros. O utinam, quoties tibi applaudendo, & de nobis ipſis conquerendo intra me me tacitus in has erupi voces, & exclamavi, utinam brevi dies illa affulgeat, quæ nos utraque unum rurſus conſpiciat, ante ſuæ lucis occaſum, & ſuas tenebras. Sed iſta in tranſcurſu ſolum & extra ſtadium. Faxit D. O. M. ſi quod ut perutile multi iique boni & ſapientes viri exoptant nobis, & vobis præordinaverit futurum tale, felicem ſuam citiſſimè ſortiatur horam. Quod ad me Pater, ſicut ex omnimodæ doctrinæ tuæ firmo & immobili, virtutis faſtigium conſequi datur facillime, ita utramque ſuprema ſemper cum obſervantia & cultu religioſiſſimo venerari conſtituo apud me. In ea præterea es ipſe conſtitutus dignitate, quæ ultimos poſcit honores. Agmen enim agis Sacrum & ſub Chriſto nobilioribus ejus membris nobile aſtas caput, quod nedum ulli Angelorum fuit conceſſum. Sed nimium certe exundat oratio, & parænefim iſtud magis dixeris, quam Epiſtolam Euchariſticam. Vale igitur, Reverendiſſime Pater, verboſitatem meam, & laſcivientem pluſquam calamum hoc voto cohibebo ſimul & expiabo. Deus quam diutiſſime te ſervet incolumem, & Cœlo, Eccleſiæ, piis, eruditis, tuis, cæteriſque quorum minimus ego ſum, qui te amant & colunt maxime, præſtet aliquando annotiſſimum, imo immortalem.

Florentiæ Æræ Chriſtianæ 1653. pridieq. Non. Dicembris.

EPI-

EPISTOLA V.

Reverendiſs. D. Joanni Bonæ, ſuique Amantiſſimo
Andreas Valfredus S.

Andreas Valfredus 1656.

DEnuò inſtas, ut ad tuum Deiparæ Virginis, & Religionis ergo & officii ſeceſſum me conferam. O rem adeo per omnia mea vota cupitam! Tui, quid enim viſendi, tui reverenter amplexandi, & Divam hanc meam adorandi dudum eſt, quod deſiderio flagrantius exæſtuo. Sed quî poſſim nunc per tot mea negotia? Per tot impedimenta quî valeam? Hilarem non haberes, ut expeteres, & deceret advenam, & hoſpitem, & cui cum Virgiliana Cerva, Hæreret lateri lethalis arundo. Decumbit Uxor, & hæc quidem, ni Deus averterit, & hæc tua Diva, viſura Erebum, nigramque Paludem. Hanc ego ſic deſeram? Cum Evangelica Parabola, ſed excuſa, Uxorem duxi, non poſſum venire. Si fato ceſſerit, Erémo me voveo: Anacoretim para. Et ego in prolixa, aut raſa barba, niveoque veſtro cucullo, aut alio cadurco famulabor huic Virgini. Laborat unus ex Fratre Nepos, dum ex alio alius immaturo fato mox raptus eſt. Devota morbis, devota morti tota noſtra in præſens eſt Domus. In lucem meus Lucanus urget emitti, nec Impreſſoris amici prætereunda eſt occaſio, nec aſpernanda benignitas, qui Pharſaliam meam ſine aliqua mea impenſa editurum ſe obtulit. Exigunt hæc ſcripta a Parente dimiſſura poſtremam manum, quam properanter abſolvo. Et adeſt qui maneat, & amica importunitate eorum præſtoletur remiſſionem. I nunc, & urge acrius ut veniam. At ne videaris irrita in præſens provocatione perfunctus, veniam, & quidem nec expectatus, nec invitatus, dilato in opportunius vel impor-

importunius tempus adventu. Tuum tum erit, ejicere: Et si videbitur, ejice. Vale interim & pro ægrotis meis Virginem hanc, & pro me ægrius illis me habente, at te ægrius non redamante, Vicaria pro me oratione propitia. Braidæ xv. Cal. Novemb. 1656.

EPISTOLA VI.

Eminentissimo D. D. Joanni Bonæ S. R. E. Cardinali.

Andreas Valfredus 1670.

IMpatientia torquemur Eminentissime D. nimio quapropter usti frigore, omne iter obsedimus; stamus ad omnem semitam a pedestribus Tabellionibus, & a Cursoriis, & pernicibus Equorum ungulis quati consuetam, ibique omnes veximus advenas, cribramus Hospites, iter facientes excutimus, si fortè quis referat, nostrum denique e Conclavi Bonam inauguratum exisse Pontificem.

O Patriæ Regalis honos, o gloria nostri
Magna Padi, & fastus causa superba mei!
Perge, age, Romuleam sine me, mea littera ad Urbem,
Et celer adventum (si jubet) urge meum.

Et o si vestra Bonitas, si vestra, nedum jubere, sed annuere dignetur Humanitas! Tunc etiamsi plurimus in crinibus, plurimus nobis esset Saturnus in Barba,

Quam cita in amplexus veherent me Carbasa vestros?
Jamque tuis gaudens, Tybri lavarer aquis?

Quare tantummodo

Annue; Saturni veteres laxabo catenas,
Alatusque alas vel dabit ipse Senex.

At quæ immodesta (inquies) tot literarum obsidio? Tot inanium nugarum iteratio? Ita, scilicet, otiamur a cu-

a curis, ut tertio iterum importunius, nos avoces? Votis at enim E. D. nimium flagramus ardentibus; Desideriis nimis exæstuamus immodicis: Stitiisse (fatendum est) nostræ non fuit potestatis hunc impetum.

Aut esses minus ipse Bonus, moderatior essem;
Audacem hæc Bonitas me facit esse tua.

Retrogrado interim ordine trium ultimarum Alphabeti Consonantium valeat V. T. S. videlicet Vestra tandem Sanctitas. Braidæ Idid. Jan. 1670. & in hujus anni, quem auspicatissimum precamur, initio, faxit Deus, ut si vobis sonuerit Janus in nomine, sonent in manibus & ejus claves.

V. T. S. ut voveo.

Ter humi projectus, Humil. Servulus
Andreas Valfredus

EPISTOLA VII.

Eminentiss. ac Reverendiss. Domine.

Braidæ Andreas Valfredus 1672.

STatui sæpius, Eminentiss. & Reverendiss. Domine, nullaque alia de causa, nisi vestram humiliter amplitudinem visendi, nisi vestros humillime pedes exosculandi Romuleæ hujus Urbis itineri me committere. Certa sed enim quoties longissimæ huic profectioni decreta est dies, toties damnavit hoc votum

Tarda nimis, semperque aliquid causata Senectus.

Plena terroris est res, nec ætati aliquid super addendo ad solitam senescentium obloquor ostentationem & vanitatem, qui cum Ulyssis vix annos æquaverint, Nestora tamen jam sese esse pronuntient: sola velim ad hanc vocem obsurdesceret mors, ne quasi mei oblita,

ad

ad crudele officium se crederet admoneri. Verum interverso callidè (more senum) numero ita scribam, nec mentiar, quintum & septuagesimnm me mox annum absoluturum; Quis scit, an Arithmeticæ parum artis experta, 57. pro 75. legens, & numerans, Parca ut sit, diutius adhuc parcat? Certe in derasa frequentius barba, superque inducta, ad Provinciæ genium mentita cæsarie, tinctoque capillamento non æque benè distinxerit, & sub Juvenalis Persona Senecam non ita facile recognoverit. At exuta jam larva, in nativo capillo prodeamus. Puerile enim est, si hisce Parcam figmentis posse putemus eludi. Profundo nimis heu caractere, diligentique calculo in fatorum voluminibus nostrorum omnium nedum annos menses & dies, quin & horarum singula momenta describit. Cum igitur Divi Andreæ festum Sol revehet diem, quo mea me Genitrix superas emisit in auras, anno videlicet MDLXXXXVII. (antiquo autem more, & ad vestras demissius aures hoc scribimus, ne Parca intelligat) quindecim absolutè lustra complevimus. Nec de Genialibus Andreæ Festis ullus adhuc absque nostro carmine præteriit dies; quot enim numeravimus annos, totidem Divo nostro Tributa persolvimus. Dumque res interim quotannis hæc agitur, tale adeo non cogitantibus non exiguum excrevit in librum. At, ne, si unico tantum usi fuissemus scribendi genere, fastidiosa tædium legentibus ingeneraret hujusmodi lectio, vario placuit cùm latino, tùm Italico calamo, cum soluta oratione, tùm numeris adstricta hoc officio defungi. Et ne ultra vestram humanitatem torqueam, aut ipse torquear, totam meæ Scriptionis Oeconomiam ex hoc, qui sequitur titulo, fas sit aliquando colligere.

L' ANDREA

o sia *Gli Tributi Genetliaci*, pagati annualmente dall' Avvocato *Andrea Valfrè* di Brà all' Apostolo *Sant' Andrea*

drea nel giorno della sua Festa nel quale nacque, che sono in tutto il numero di 75. a misura degli anni, ne' quali si ritrova al presente, cioè nell' anno 1672. avendo supplito a quelli della minorità, negli anni maggiori, in vario stile, parte Volgari, parte latini, parte in Prosa, parte in versi. Tra latini, si contengono Epigrammi, Elogj, Elegie, Distici, Anagrammi, Hinni, Epistole. Fra i volgari Sonetti, Madrigali, Canzoni per Musica, Idilii, lettere volgari. Et in fine un Panegirico al S. Apostolo di 75. Ottave liriche a proporzione degli anni dell' Autore.

Et ecce in tot Natalium numero, & pro Quinto & Septuagesimo hæc ipsa jure quidem admitti poscit Epistola. Pudet, pudet hisce tam levibus sic in longum ineptiis detinuisse tam gravem Virum. Quem tamen & si Purpuram merito nimis induisse compertum sit, at nec unquam exuisse humanitatem. Donec in Palatio Vestro Matronam videro, undique confluentibus hanc observari (audacius quam par sit fortasse dictum) frustra etiam ne non admittar ipse ambigo. Extremum fortasse fuerit, quod Geniale vobis persolvimus officium. Boni ergo, Optime, Eminentissime, & Reverendissime. Bona, consulite, æternumque æternumque Valete. Braidæ Nonis Novembris MDCLXXII.

Vestræ Eminentissimæ Celsitudini, &
Reverendissimæ Dominationi

Humillimus, & in æternum addictifs. Servus
Andreas Valfredus.

EPISTOLA VIII.

Reverendissime Pater.

Dacherius Lucas.

EN ut Votis tuis faciam satis, ac jussis obtemperem mitto ad R. T. folia aliquot libri de divina Psalmodia, aliaque consequenter dum è prelo emerserint veredario committere haud prætermittam, donec extrema manus fuerit imposita, easque R. D. Domno Gabrieli Procuratori nostro Generali inscribam. Utinam reperiat nihil quod Eruditioni Tuæ singulari displiceat! Sed vereor ne menda nonnulla typographica in hanc iteratam editionem irrepserint; tot enim priorem fœdaverunt, ut ea passim occurrant ac sæpius; typographorum peritorum licet oculos fugiant: in his tamen abstergendis omnem navabo operam, diligentiamque. Interim vale quam optimè

Reverendissime Pater
Tuus in Christo Obsequentissimus Servus
Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA IX.

Reverendissime Pater, & Clarissime Domine.

Parisiis in Monast. S. Germani a Pratis.
Lucas Dacherius 5. Id. Septemb. 1661.

NON vulgaris tua Virtus, singularisque eruditio illud egere, ut me dumtaxat nomine cognitum, ac nihil usquam de Te meritum, beneficiis prævenires, cumula-

cumularesque, uti ad me scripsit non semel Socius admodum Reverendi Patris nostri Procuratoris Generalis Sodalis meus Charissimus Dominus Arnaldus. Nec ego tantæ benevolentiæ quid rependam plane video, nisi gratias vel quantas possum maximas: quod equidem summa cum animi demissione hisce literulis efficio, obnixeque rogo Reverendissimam Paternitatem Tuam; ut citius gratissimum quem offert suo scripto Magni Bernardi Tractatum transmittere dignetur; cui præcipuum Tuo nomine tuisque Notis illustratum in Tomo Sexto Spicilegii (jam enim quintus paratus est) locum dari spondeo (vel sanè Editioni novæ, quam molimur Operum ejusdem sanctissimi Doctoris diversis distinctæ voluminibus in Quarto ut vocant, inserere magis erit opportunum) & simul atque editus fuerit ad Reverentiam Tuam cum aliis illius Tomi Scriptoribus Romam mittere non morabor. Interim Deus doctissimam tuam Paternitatem nobis diu incolumen servet. Parisiis in Monasterio Sancti Germani a Pratis 5. Id. Septemb. 1661.

Reverendissimæ Paternitatis Tuæ

Dev. & Obsequentiss. in Christo Servus

Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA X.

Reverendissime Pater.

Parisiis in Monast. S. *Germani a Pratis. Lucas Dacherius* 30. *Septembris 1661.*

DAtis ad me literis die 5. Septembris Domnus Arnaldus noster subtexuit inter alia Reverendissimam Paternitatem Tuam velle pretia scire quorumdam librorum Ecclesiasticorum in recitandis Divinis Officiis Or-

dini Monastico assuetorum; cujus ut votis facerem satis astutum Bibliopolam accersivi, & Catalogum, pretiaque ab eo poposci, quo certius fieret notitia eorumdem librorum. Hunc itaque mitto Catalogum ad Reverentiam Tuam, simulque efflagito, ut si qua alia in re mea opella indigeat, significare dignetur, spondens me continuò exhibiturum ex animo

Parisiis in Monasterio S. Germani a Pratis die 30. Septembris 1661.

Reverendissimæ Paternitati Tuæ
Humillimum & Obsequentiss. in Christo Servum
Lucam Dacherium M. B.

EPISTOLA XI.

Pax Christi

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius III. Id. Nov. 1661.

DIU gravissimo morbo afflictatus & ad extremum propè deductus, non potui citiùs humanissimis Reverentiæ Tuæ literis respondere; nunc verò paululum convalescens, etsi adhuc tremente manu, maximas ago Reverendissimæ Paternitati Tuæ gratias tum de literis, tum etiam de Epistola seu Præfatiuncula Tractatui ejus jussu confecto præfixa. Et sanè magna mihi felicitas accessit tecum dulcissimam ac profuturam iniisse amicitiam, utpote viro Religione, Sapientia, Eruditione, Scriptisque per Urbem & Orbem clarissimo. Perge, oro, Reverendissime Pater, me amare ea qua soles benevolentia, & ideam Novæ Editionis Operum Melliflui Doctoris, quam tuis literis spondes, ocyus mittere digneris, gratissima nobis erit, & haud ingrati nomen Tuum

non

non reticebimus. Ego equidem ea ipſa Opera minime curo (niſi conſilium ac nonnihil ſubſidii identidem ſubminiſtrando) ſed Socius meus D. Claudius Chatelou, Vir Doctus, & rei antiquæ peritus, qui mecum ab annis aliquot, & in ſervanda Bibliotheca Sangermana, & in edendis vetuſtis Scriptoribus ſuam operam & ſtudium impendit.

Cæterum noſter Reverendiſsimus Pater Superior Generalis ſuo nomine plurimam ſalutem dicere juſsit Reverendiſsimæ Paternitati Tuæ, ac tres Tomos Bibliothecæ Patrum asceticæ offerre, quos cum aliis libris mitto ad R. P. D. Gabrielem Procuratorem noſtrum Generalem. Deus interim Te Bono Eccleſiæ incolumen diutiſsimè ſervet; quod obnixè precor.

Pariſiis in Monaſterio S. Germani a Pratis 3. Id. Novembris *1661*.

Reverendiſs. Paternitati Tuæ Humillimus,
Et Obſequentiſs. in Chriſto Servus
Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA XII.

Reverendiſsime Pater.

Pariſiis &c. Lucas Dacherius 21. Sept. 1663.

INdicem rerum & errata ſimul atque transmiſeris prelo mandabimus, tumque Opus tuum de divina Pſalmodia prodibit in publicum.

Interim Capitulorum Aytonis, quæ deſperaveram, ſpe obtinendorum mirè animum ſublevas meum. Et illa equidem ſi brevi accepero, locum in To. VI. Spicilegii noſtri facilè obtinebunt.

Offers inſuper Collectionem Canonum ab Anſelmo Lucen-

Lucensi, Viro Sancto, eruditissimo, & Gregorii VII. acerrimo Propugnatore concinnatam, quam mihi pergratam fore non diffiteor, ac luce dignissimam. Antonius Augustinus in veteri Collectione plura se vidisse Anselmi hujusce Collectionis Exemplaria asserit, quæ indigitat, sed Romanum præfert aliis. Faxit Deus, ut & eo animo, eaque industria queis mea studia promovere satagis: vicissim tua, litterario bono, longè utiliora promovere possim ego

Parisiis è Monasterio Sangermano die 21. Septembris 1663.

Per Monasteria Nostræ Congr. distribuo Tuam Manuduct. ad Cœlum.

Reverendissime Pater

Tuus in Christo Servus Obsequentiss. Obstrictiss.

Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA XIII.

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius 2. Novemb. 1663.

NUnc in manibus est Bibliopegi Commentarium de Divina Psalmodia, ad Te Romam data occasione transvehendum. Interim dum volumen integrum fuerit compactum, tua mitto ultima folia. Titulum prioris paginæ Bibliopola mutavit, sive alio quàm antea ordine disposuit, spe videlicet lucri, quò emptores citius alliciantur.

Novis litteris, quas ad me scripsit noster Procurator Generalis, testimonium, sive testificationem abs Te impertitam quod Romæ extet MS. Sessio II. Concilii Carthaginensis &c. jucundè accepi, utpote mihi profutu-

futuram contra adversarios & obloquutores, qui Parisiis non desunt. De quo gratias Tibi ago plurimas. Vale quam optimè, & mihi favere perge.

Parisiis e Monast. Sangermano die 2. Nov. 1663.

Reverendiss. Paternitatis

Tuæ Obstrictissimo Servo Fratri

Lucæ Dacherio M. B.

EPISTOLA XIV.

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius 1. Feb. 1664.

UT stem promissis, egregium Tuum mitto Opusculum, *Manuductio ad Cœlum*, nuperrimè Parisiis recusum, non ea, fateor, quam optaveram, elegantia; curavi nihilominus ut Præfatiuncula ad Angelum Custodem ederetur, & mendum quod adnotaveras, expurgaretur.

Spero brevi me Romam transmissurum Tomum VI. Spicilegii Reverendiss. Paternitati Tuæ offerendum; in antecessum misi ad R. P. Flambart Elenchum eorum, quæ in hocce Tomo continentur: si per otium liceat velim illum percurras. Dum Vitam S.Simeonis Stylitæ (quam iterum novissimis litteris polliceris) ac Collectionem Canonum Anselmi Lucensis accepero, historica paro ad Tomum Spicilegii Septimum.

Benedictus Deus qui votis meis partim annuit, quod inter Censores, seu, ut vocant, Qualificatores Sacræ Inquisitionis Te annumeravit Summus Pontifex: sic nimirum, & insignis tua pietas, & doctrina singularis, & scripta omnigenæ eruditionis bono Ecclesiæ in lucem emissa, evehent Te gradatim ad Summæ digni-

tatis

tatis apicem. Et hoc quidem Nuntium me lætitia perfudit maxima. Deus ipse Opt. Max. compleat vota mea, & Te ex Candidato Purpuratum efficiat, quod optat ex animo

Parisiis in Monast. Sangermano 1. Feb. 1664.

Reverendissime Pater
Tuus in Christo Servus Obsequentiss. obstrictissimusque
Lucas Dacherius

EPISTOLA XV.

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius 19. Febr. 1664.

GAudeo planè sanum & incolumen Te regressum in Urbem. Faxit Deus ut longævam ac felicem vitam, Ecclesiæ, nostrisque studiis pernecessariam, agas. Gratæ mihi erunt, quas promittis, SS. Niconis Myrobliti & Pauli Latrensis Vitæ: nihil refert æquivoco deceptus fuerit tuus amicus; erunt illæ forte majoris momenti quàm Simeonis Stylitæ, cujus acta jam edita fuere. Si quid præterea vetustæ ætatis sese det sub manum, quod Spicilegio nostro dignum judicaverit, lubens excipiam, tibique æternum ero devinctus.

Noster Reverendiss. Superior Generalis invisit hisce diebus Illustriss. Sabaudiæ Ducis Legatum, eique opus Tuum de Divina Psalmodia obtulit, cui jucundum munus fuit ob antiquam ejus Tecum necessitudinem, sed longè gratius audivit, quod ipsum latebat, Te a Summo Pontifice Qualificatoris, ut ajunt, Sacræ Inquisitionis dignitate auctum; volupè siquidem id Nuntii se acce-

accepisse gratulabundus indicavit. Vale quam optimè, & me quod facis, ama.

Parisiis in Monasterio Sangermano die 15. Feb. 1664.

Reverendissime Pater

Tuus in Christo Servus obsequentiss.
obstrictissimusque
F. Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA XVI.

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius 4. Julii 1664.

Singulare est beneficium, quod tuis a me datis literis die Junii 2. præstitisse asseris; nimirum Te a sua Sanctitate petiisse, obtinuisseque Cod. MS. Collectionis Canonum Anselmi Lucens. Etenim opprobrio mihi haud dubiè fuisset, si mutilam a me in lucem datam postea quispiam integram ederet, vel saltem in Vaticana Bibliotheca sex libros ejusdem superesse propalaret. Tuæ profectò diligentiæ & eruditioni debebunt rei antiquæ curiosi exploratores dum Collectio isthac numeris omnibus absoluta prodibit in publicum; ego verò palam profiteri non prætermisero si meo labore id fiat.

Cæterum haud ingrata mihi erit, Reverendissime Pater, nec inutilis, docta, ut scribis, & erudita Exercitatio Eminentissimi Cardinalis Branchatii: & cum ipsam accepero legeroque, ingenue quod sentiam more meo aperiam. Interim summas de tantis beneficiis

gratias habeo Reverendissimæ Paternitati tuæ, quam ut optimè ac diutissimè servet, Deum exoro.
Parisiis è Sangermano Monast. die 4. Julii *1664*.

Reverendiss. Pater

Tuus in Christo addictiss. obsequentissimusq. Servus

Lucas Dacherius M. B.

EPISTOLA XVII.

Reverendissime Pater.

Parisiis &c. Lucas Dacherius 16. Anni 1665.

CUM probè novisset R.P. Abbas de Precibus, quam singulari benevolentia Cistercienses suos Strictioris disciplinæ, seu, ut vocant, *Abstinentiæ*, Abbates, exceperis Romæ, quantaque diligentia & studio eorum negotia qua polles auctoritate SS. Patri commendaveris, egerisque, ut Congregatio ad causam discutiendam indicta fuerit; obstrictissimum Tibi esse meis verbis significarem, & gratias agerem quantas possem maximas exoptavit, & poposcit. Quod sanè ut efficerem mea non obscura tenuitas deterruisset, ni ingenitam tuam bonitatem, ac non vulgarem humanitatem toties a me probatam, in memoriam revocassem. Eximiam itaque pietatem tuam obnixè rogo, quandoquidem jubes Tecum familiariter agam, ne reflorescentem in Gallia postliminio Cisterciensem Ordinem patiaris ab his deprimi ac deturpari, qui se ipsos amantes, sua quærunt non quæ Jesu Christi: intelligenti pauca. Heu pro dolor! quàm

Abstinentiæ,

quàm turpiter a priscorum & Sanctissimorum Patrum, qui prima regularis observantiæ in Cistercio, Claravalle, & aliis Monasteriis jecere fundamenta, defecerunt pietate ac sanctitate! Sed hæc nunc silentio premenda. Perge igitur, Addictissime Pater, & satage ut stabilita permaneat ac dilatetur Monastica disciplina. Inde gloriam apud homines verè pios, immortalitatem, & peculiare haud dubio in Cœlo præmium percipies. Vale quam optimè.

Parisiis e Sangermano Monast. die 16. Anni 1665.

Reverendissime Pater

Tuus in Christo Servus obstrictiss. obsequentissimusque
F. Lucas Dacherius.

EPISTOLA XVIII.

Reverendissime Pater.

Parisiis Lucas Dacherius 1666.

NE tua queis tam serio & sanctè occuparis, negotia interturbem, ad Te aliquid dare literarum usque eo distuli, dum Spicilegii mei Tomus VII. prelum egrederetur, ut si literæ steriles, aut forsan importunæ fuerint, scripta illa antiquioris ævi è pulvere & situ a me vindicata, quibus eruditi Viri se profitentur delectari, aliquam Tibi afferant voluptatem. Mitto itaque unum Septimi Tomi Exemplar, unaque nomine Reverendissimi Patris nostri Generalis (qui Te per meas literas salvere jussit) Commentarium in Psalmos ex He-

bræo nuperrimè in latinum a Monacho noſtræ Congregationis translatum.

Brevi, spero, sum impreſſoriæ officinæ illaturus octavum Spicilegii Tomum, nempè cum ab Illuſtriſsimo Domino Carrocio reſponſum accepero: is enim ſumma humanitate mihi ſpopondit ultro ſe & ſtudium & operam impenſurum in ſupplendis quæ Attonis Operum Apographo Romano deſunt. Dum autem ad illum ſcribes, pro innumeris quibus toties me affecit beneficiis, Te ipſi gratias agere immortales, velim ſignifices.

Quàm diutiſsimè & quàm rectiſsimè nobis Te incolumen ſervet Dominus Jeſus.

Pariſiis ipſo Transfigurationis feſto die 1665.

Reverendiſsime Pater

Tibi addictiſs. in Chriſto Servus
F. Lucas Dacherius M. B.

E P I S T O L A XIX.

BENEDICITE

Reverendiſsime Pater.

In Monaſterio S. Andreæ prope Avenionem.
Fr. Arnaldus Boiſſerie 1661.

DUM proponebam mihi ad tuam Reverendiſsimam P. mittere litteras, quibus pro Beneficiis acceptis grati animi teſtimonium ipſi exhiberem, & mea obſequia confecrarem: tum quidam e Patribus noſtris in Monaſteriis hujus regionis degentibus, qui tua dona viderant, & me de tua benignitate loquentem audierant, pro-

proposuerunt mihi, quin imo sua charitate coegerunt me hasce literas ad tuam Reverendiss. P. scribere non acturum gratias, sed potius ampliores excepturum. Hoc autem munus suscepi, tui quidem reverentia repulsus, sed eorum precibus quasi voluntariè compulsus: non ignorabam quippe facilius mihi esse a tua benignitate gratias obtinere, quam digne tuæ Reverendiss. P. referre; hoc enim Philosophorum dicto convictus sum, solum sapientem (qualis ego non sum) gratiam referre scire. Postulant autem illi non mira Romanæ artis, sed divinæ gratiæ opera, scilicet partes aliquotas Corporum Sanctorum cum suis authenticis, ut quos sequi gloriantur, amplecti ac deosculari gaudeant, & quos imitari student, venerari valeant. Rem arduam, fateor, exoptant, sed tua magnanimitate dignam, & facile tuo nomine, ac gratia, quam in aula meruisti, superandam; & ideo parcat quæso tua Reverendiss. P. eorum pietati, parcat, & illi qui eorum quidem vota humiliter & confidenter ipsi exhibet, sed quem tantam gratiam, post tot collatas ipsi nec relatas postulare, verecundia prohibet. Quod si tantum beneficium a tua benignitate sperare liceat, sicut præsumimus, poterit tua Reverendiss. P. hæc sacra pignora cum suis authenticis Rev. P. Epiphanio, Rev. nostri Procuratoris generalis Convictori, in Gallias brevi redituro committere; & interim nos ea devotissimè expectantes, Sanctorum illorum Societatem in Cœlesti Patria tibi precibus ac votis exoptamus, & ego præcipue.

Reverendissime Pater

In Monasterio S. Andreæ prope Avenionem 19. Novembris 1661.

Humillimus, & obsequentiss. Servus
Fr. Arnaldus Boisserie Monach. Benedict. F. V. B.

EPI-

EPISTOLA XX.

Pater Reverendissime.

Parisiis Fr. Bernardus Audebert
12. Octob. 1663.

QUanta sit tua erga me benevolentia jampridem ita certò noveram, ut de ea nusquam me crederem fieri potuisse certiorem. Attamen quia parum tibi fuit vulgari cum verborum officio commendasse, nisi etiam sedulo opere testareris; gratias ago quam possum amplissimas, simulque rogo, ut me, meosque omnes, hac sincera charitate æternum complectare. Ego quidem tuæ hujus beneficentiæ & communionis, quæ sacra pignora, eaque, ut testimoniales literæ fidem faciunt, indubitata, ad me deferri jussisti, non obliviscar, quin potius velim credas, mihi omnino nihil optatius evenire potuisse, quam ut tibi deberem, quod in sortem Sanctorum sic devenerim. In hoc etenim beneficiorum genere jure dubitaverim, gratiusne sit magis dare quam accipere. Et si talibus hostiis jure promeretur Deus, quidni, & merito, humanus devinciatur animus, Quod verò meorum fratrum lucubrationibus edita quædam opuscula ad te direxerim, qua de re, ut soles, gratias agis, sic istud quantulumcumque beneficium remensus es, ut in immensum superaveris; meque tibi multum debere fateor, & quod ea dignatus sis admittere, & quod rependeris cum tanto fœnore. Vale igitur diù multumque, atque utinam sic valeas, ut me tuis commendatum precibus memineris, & tibi diutissime possim obsequi. 12. Octob. 1663.

Paternitatis Vestræ Reverendissimæ
Humillimus, & addictiss. in Christo Conservus
Fr. Bernardus Haudebert.

EPI-

EPISTOLA XXI.

Reverendissime Pater.

Fr. Bernardus Audebert.
1667.

QUanti sis apud Clementem Nonum, quem Deus Ecclesiæ Visibile Caput recens constituit, ex eo compertum habemus, quod Te in Congregationem pro gerendis & moderandis rebus, quæ ad Sanctorum reliquias & Indulgentias spectant, institutam coopraverit, iis temporibus, quibus Hæretici & Sanctorum Cultum, & Sacrarum Reliquiarum Venerationem, nec non potestatem Ecclesiæ a Christo concessam, ad dispensandum coeleftem Thesaurum tàm acriter ac vehementer impugnant. Adquod Sanctissimum munus non nisi eximiæ doctrinæ, firmæ fidei, ac singularis pietatis Viri desiderabantur, quibus Te abundare cum Summum Pontificem latere non potuerit, ad illud te bono Reipublicæ Christianæ optimè consulens, meritò evexit. Quod quanta nos lætitia extulerit, oratione concipere non possum; quam tamen contraxit Nuntius nobis allatus de tua adversa valetudine, & ad Deum pro ea tibi restituenda confugere movit. Quam ut Tibi firmam & integram diù conservet precibus insistam. Vale Salve.
Ex Abbatia S. Dionysii in Francia Pridie Id. Octobris *1667.*

Reverendissime Pater.

Humillimus & Addictissimus Servus
Fr. Bernardus Audebert M. B.

EPI-

EPISTOLA XXII.

Eminentiſsime Domine.

Pariſiis Bernardus Audebert
1672.

ETsi in ſeceſſu & ſilentio nunc degam omni rei gerendæ munere exoccupatus, non tamen ita omnem Curam abjeci, ut me prætereat recordatio beneficiorum, quibus Congregationem noſtram, & meipſum proſequi dignata eſt Eminentia Veſtra: Immo cum aliæ me curæ reliquerint, hæc me maximè tenet, ut ne ſicut impar ego ſum referendis, ita etiam agnoscendis beneficiis veſtris ingratus exiſtam. Patieris itaque, ut spero, Eminentiſsime Domine, ut qualicumque modo identidem ſatisfaciam officio meo, quod quidem inſtantis anni primordio præſtare teneor. Hæc verò ſumma eſt officii, quod ſanè mihi reliquum eſt, ut in ſolitudine mea continuas Deo preces offeram pro veſtra incolumitate, & ſalute, quæ non minus toti Reipublicæ Chriſtianæ quàm nobis ipſis neceſſaria eſt. En votum meum, quod Eminentiſs. Domine, gratum eſſe obſecrat.

Pariſiis die 9. Dec. 1672.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus, & obſequentiſs. in Chriſto Servus
Fr. Bernardus Audebert M. B.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

Eminentissime Domine.

Parisiis Fr. Bernardus Audebert. 1672.

BRevi profecturus ad Capitulum nostrum generale, committere non possum, ut hinc discedam, insalutata Eminentia Vestra, cui extremum hoc observantiæ meæ monumentum, acceptum esse velim. Cum enim toto regiminis mihi commissi tempore continuam in nos Benevolentiam vestram, & assidua beneficia expertus sim, æquissimum sanè est, ut officii mei munus, quod jam præ ætatis defectu exercere non licet, finiam cum immortali gratiarum actione. Illud verò supremi beneficii loco duxerim, si munificentissimam voluntatem vestram, quam Congregationis nostræ nomine, mihi licet immerito toties probavit Eminentia Vestra, etiam trasfundere dignetur in successorem meum, cui quidquid gratiæ contulerit, ego in acceptum referam. Cæterum quæ mihi publicam rem gerenti mens fuit de singulari vestra in nos charitate, eadem & privato erit; nec desinam sospitatem vestram Christo Domino commendare, quamdiû vitæ spatium mihi concedet Providentia Divina; hæc erit sedulitas obsequii in Te mei, Eminentissime Domine, quod extremis his litteris meis æternum testatum esse velim.

Parisiis 6. Maji 1672.

Eminentiæ vestræ

Observantiss. & studiosiss. Orator
Fr. Bernardus Audebert M. B.

EPISTOLA XXIV.

Reverendissime Pater.

Lutetiæ Parisior. Jo. Abbas de Precibus.

QUis animi nostri sensus fuerit, dum gravem Reverendissimæ P. Vestræ ægritudinem accepimus, potest ipsa ex dolorum suorum acerbitate perpendere: cum enim ipsi & arctissimis amicitiæ nexibus, & multiplicibus, ingentibusque beneficiis astricti ac devincti simus, fieri nequaquam potest, ut violentos illos, quos corpore patitur, cruciatus; nos intimis animi nostri visceribus non persentiscamus. Debet igitur Reverendiss. P. V. certum omnino & persuasum habere, nos officio nostro non defuturos, Deumque Opt. Maximum, quam enixe rogaturos, ut ipsi pristinam, integramque valetudinem reddere non differat, cum pretiosa hæc valetudo, & toti Ecclesiæ, & nostro imprimis Ordini perutilis sit ac necessaria. Quam hactenus opem, suaque officia jampridem experti sumus, sed iis nunc maximè, si unquam, indigemus. Scit enim Reverendissima P. V. strictiorem observantiam nostram, non solum per postremum Alexandri P. P. VII. diploma, sed præterea per Generale Ordinis nostri Capitulum, vehementer concussam, ac penè subversam fuisse; si qua ergo nunc sub Clementis IX. Pontificatu res nostras, utcumque restituendi spes affulget, ea tota quanta est Reverendiss. P. V. subsidio, gratia solertiaque omninò nititur. Video quidem Reverendissimam P. V. sapientissimè jubere, ut RR. nostri de Trappa, & de Valle Richerii Abbates Romam quantocius repetant, quod & mihi consultissimum videtur. Sed id ipsis imprimis suaderi, ac deinde Christianissimo Regi nostro probari oportet; quod utrum-

utrumque non nisi Reverendissimæ P. V. opera studioque sperare possumus. Ea ergo, si placet, qua apud Abbates illos nostros plurimum pollet authoritate, urgeat eos vehementer litteris suis, ut publicam Ordinis nostri utilitatem quieti propriæ anteponant, & observantiæ nostræ jam penè labanti manus auxiliatrices ferre diutius non renuant. Deinde verò, ut a Rege nostro hujus itineris conficiendi facultatem assequi possimus, enitere si fas, aut apud Summum Pontificem ipsum, aut apud Congregationem ab ipso deputatam, ut Reformationis nostræ causa ad Romanum Tribunal iterùm avocetur, partesque etiam ad suam causam agendam ad Curiam revocentur. Si verò Reverendissima P. V. satius aut facilius judicaverit in hoc negotio Eminentissimi Cardinalis Nini Protectoris nostri ope & authoritate uti, necessarium nobis omnino videtur, ut id Eminentia sua, non suo dumtaxat, sed Summi etiam Pontificis nomine præstet: nam aliàs Rex noster litterarum Eminentiss. Cardinalis nullam fortè aut perexiguam rationem haberet; quod certe non levem Eminentiæ suæ molestiam parere, rebusque nostris non exiguum inferre damnum posset. Vidit jam opinor Reverendissima P. V. procuratorium instrumentum, quod ad Clarissimum Dominum Hache transmisi, in quo potissima Causæ præsentis momenta explicui, quibus confirmatiò actorum Capituli Generalis a Procuratore Ordinis expetita, impediri facilè potest; sed præterea prolixius paulo & operosius opus præ manibus habeo, quod Diplomatis Apostolici simul & Capituli generalis nævos & defectus modestè perstringet, nec ullam, Deo juvante, Sedi Apostolicæ injuriam irrogabit. Non committam tamen ut meum illud qualecumque opusculum Romæ ab ullo videatur, aut legatur, quin prius Reverendissimæ P.V. judicio sistatur, ac censuræ subjiciatur. Ea est mea erga Reverendissimam P. V. fiducia, & ob-

observantia, ad quam fateor me & a Summa benevolentia sua, & ab eruditione sua singulari adigi meritò & compelli. Deum Opt. Max. iterum impensè precor, ut R. P. V. ad multos annos sospitem & incolumem servet. Sum ex animo eroque quamdiu per vitam licebit

Reverendissime Pater.

Lutetiæ Parisior. die 23. . . . .

Reverendiss. Paternitatis Vestræ

Obsequentiss. & addictiss. Servus.
Fr. Joannes Abbas de Precibus.

EPISTOLA XXV.

Reverendissime Pater.

Jo. Abbas de Precibus.

HUmanissimæ ac perelegantes litteræ tuæ, me licet aliquo affectum moerore, mirum in modum refecerunt, & recrearunt. Non ignoras Reverendissime Pater, quàm justam nobis dolendi materiam suppeditent strictioris nostræ observantiæ adversarii, qui a pluribus jam annis eam vexare & convellere non desinunt, eamque totis viribus subvertere moliuntur. Nec te latet quibus modò artibus pessimum illud consilium suum ad effectum perducere, & infensum nobis Summi Pontificis animum reddere conentur. Accedit ad doloris cumulum inopinata illa Rev. Abbatis de Trapa ex Urbe discessio, quam mirari satis non possum, ipsum te inconsulto, suscepisse. Sed Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui consolatur nos in om-

omni tribulatione noſtra. Tu ipſe, Reverendiſsime Pater, gaudium noſtrum es & conſolatio noſtra in Domino. Quis enim non gratuletur nobis, quod in tot anguſtiis conſtituti, te Amicum fidiſsimum ac Patronum potentiſsimum nacti ſimus? Divinum profectò eſt beneficium iſtud, quod ſpem non minimam in animis noſtris ingenerat, fore tandem aliquando, ut is qui mortificat & vivificat, deducit ad Inferos & reducit, qui etiam ventis & mari cum libet, imperat, hanc, cum bonum fuerit in oculis ſuis, tempeſtatem ſedet, nobisque optatiſsimam, ope tua, tranquillitatem reddat. Hoc ego gaudium meum, hanc ſpem meam, Pater Reverendisſime, optimæ Reginæ Regis noſtri Matri, cum primum id mihi per te licuit, ſignificare non diſtuli; Et, ut eſt religioſiſſima & vehementer iis rebus affecta, quæ Divinum cultum, ac Ordinis noſtri proventum ſpectant, nuntium hujusmodi fauſtum pergratum habuit; ac ipſamet voluit tibi litteris ſuis hic adjunctis, grati animi ſui luculentum dare teſtimonium. Ex quibus, ut puto, intelliges, te officiis in nos tuis non ſolum Dei cultum, ac Sacri Ordinis noſtri ſalutem provehere; ſed potentiſsimam etiam ac munificentiſsimam Galliarum Reginam demereri. Quod ad me quidem attinet, is ego non ſum, a quo ullum unquam ſperare poſsis beneficium; ſed quantuluſcumque ſum, me ita tibi graviſsimis & utiliſsimis officiis tuis devinctum profiteor, ut quicquid tandem in exigua puſilli hominis poteſtate poſitum fuerit, totum id tibi jure meritiſsimo vindicare poſsis. Quamdiu enim vixero, ero ex animo

Pridie Nonas Martii. . . . .

Reverendiſſime Pater

Paternitatis tuæ reverendiſſimæ
addictiſſimus, & obſequentiſs. Servus
Fr. Joannes Abbas de Precibus.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

Reverendissime Pater

Lutetiæ Parisior. Jo. Abbas de Precibus 1663.

LItteras quas ad Augustissimam Reginam Regis nostri Matrem dedisti, ad Majestatem suam festinus detuli, easque, ipsa jubente coram perlegi. Ac etiam verbo tenus latius exposui, quam oportuna nobis in promovendo Reformationis negotio subsidia præstiteris. Nec silui suppressum tua ope infaustum illud Decretum, & infensos olim causæ nostræ Judices, ad saniora consilia reductos. Arrisit illa vehementer, jussitque, ut quamprimùm tibi ejus nomine rescriberem, pergrata sibi fuisse tua ejusmodi in Reformationis patrocinium officia, quorum se nunquam immemorem fore pollicita est. Voluit ut tuum tibi nomen identidem repeterem, ne ex ejus memoria unquam excideret. Præclarè, inquit, accidit, ut ei nomen, Bona contigerit, qui tot bonitatis ac caritatis officia in Ordinem suum confert. Roga eum, nomine meo, ut pergat ea, quam apud Summum Pontificem, ac Cardinales, meritò adeptus est, gratia Ordini suo patrocinari. Hæc tibi, Reverendissime Pater, jussu potentissimæ ac benignissimæ Reginæ scribo. Meo vero nomine quid possum subjicere? Stimulis non indiges qui tuo ferventissimo zelo ad Dei gloriam & Ordinis nostri salutem promovendam ultro incitaris. Audi tantùm, quid in te loquatur Dominus Deus, & Divinis ejus impulsionibus perge obtemperare. Erit ipsemet copiosissima merces ejus, quam animo tuo indidit, caritatis. Nec propterea desinam ego me tibi cum tota Congregatione nostra devinctissimum profiteri, ac tibi tuisque,

que, ubicumque res tulerit, omnia quæ a me prodire possunt obsequia, lubenti animo exhibere. Vale, Reverendissime Pater, & meis, quantulæcunque sunt, facultatibus ac viribus universis, quasi rebus tibi jure partis, libere utere. Sum enim revera supra reliquos mortales omnes

Lutetiæ Parisior. Septimo Kalend. Majas anno salutis 1665.

Tuus addictiss. & obsequentiss. Servus
Joannes Abbas de Precibus.

EPISTOLA XXVII.

Eminentissime Pater.

Lutetiæ Parisiorum Jo. Abbas de Precibus 1665.

PErculit me prima fronte non mediocriter Epistola tua, cum mihi gravem ægritudinem tuam nunciaret, & stupendum illum membrorum torporem, qui mihi nonnullum timorem incutiit, ne in periculosiorem morbum defineret. Hoc tamen Deus omen avertat, faxitque ut ab eo tempore pristinam valetudinem recuperaveris, eaque ad multos annos, ad Ecclesiæ & Ordinis nostri utilitatem gaudere valeas. Sed me aliunde eadem Epistola tua mirificè recreavit, cum me certo certius edocuit, decretum illud in prima E. E. C. C. Congregatione deliberatum, nullatenus promulgatum fuisse, & Dominum Abbatem Cistercii nihil præter ingentem spem ab

ab Italia in Gallias detulisse. Quem certè auspicatissimum eventum & Divinæ Providentiæ & tuis præpotentibus officiis meritissimo jure tribuo. Fateor tamen nihil me tibi arctius devinctum tenere, quàm sapiens illud & amicum consilium, quo me ad pacem cum Domino Abbate Cistercii, ineundam sanctissimè hortaris: Et verò illud non lubenter tantùm, tamquam ab amantissimo Patre, sed reverenter etiam tamquam ab Angelo pacis accipio. Nec mihi quicquam in hac vita jucundius aut optatius contingere potest, quam si omnes Ordinis nostri controversias perfecta concordia sopitas videre possim. Hanc si mihi Deus unquam consolationem largiatur, mortem tunc pacate expectabo, & cum Simeone lætus concinam; nunc dimittis Domine Servum tuum in pace. In his omnibus controversiis, quæ Dei gratia est, nunquam Actoris partes sustinui, sed rei semper & defensoris: concordiam non amavi solùm, sed indesinenter expetii, & a D. Cisterciensi Abbate sæpius flagitavi; & ad extremum vitæ terminum expetam & flagitabo. Sique Deus eamdem ad pacem propensionem Domino Abbati Cisterciensi afflaverit, quam mihi gratia sua semper indidit, res confecta est, de eaque Eminentissimum Protectorem nostrum, nec non Illustrissimum Dominum Fagnanum certissimos reddere potes, ac meo nomine spondere, me ea omnia, quæ ad ejusmodi pacem aut conciliandum aut stabiliendum ex parte mea conducere poterunt, certissimè & libentissimè perfecturum. Sed quandoquidem mecum fidenter & amicè agis, liceat & mihi eadem tecum uti fiducia: Novi D. Abbatis Cisterciensis ingenium, quod a plurimis annis sum expertus, quamdiu spes ei vel minima affulgebit, vel strictiorem nostram observantiam supprimendi, vel Apostolicas Cardinalis Rupefucaldii Sententias abolendi, vel confirmationem obtinendi Brevis cujusdam Apostolici, quod sub Helvetiorum nomine a

Pro-

Procuratore Generali Ordinis, partibus inauditis, ſurreptum eſt, quodque ſtrictiorem obſervantiam noſtram penitus diruit, nunquam ulli compoſitioni aures præbebit. Si itaque Reverendiſsime Pater hujuſmodi expetendæ Concordiæ auxiliatrices manus porrigere cupias, totis viribus eniti debes, ut decretum illud in prima Congregatione deliberatum, tuoque ſtudio jam ſuppreſſum, nullum unquam ſortiatur effectum, neque Breve illud ſub Helvetiorum nomine ſurreptum, ullum Apoſtolicæ Confirmationis robur accipiat. Id enim ſi acciperet, procul dubio novas hic in Gallia litium flammas accenderet. Ut enim tibi ſumma cum ingenuitate ac fiducia loquar, nunquam ferent Galli Proceres, & Magiſtratus, nunquam patietur Rex ipſe Chriſtianiſsimus, ut Reformatio, Apoſtolica authoritate in Regno ſuo a triginta & amplius annis inſtituta, per diverſas Regni Provincias in Sexaginta Monaſteriis diffuſa, a Supremo Regni Senatu & a Sanctiore Regis Conſilio, imò & ab ipſo Rege firmata & roborata, de repente obruatur ac funditus evertatur; quod tamen haud dubie contigerit, ſi Cardinalis Rupeſucaldii Commiſſarii Apoſtolici ſententiæ abrogarentur. Sed hæc tibi, Pater Reverendiſsime fidenter & ſecretò communico, tibique Regni hujus genium ea ſolùm mente patefacio, ut intelligas nihil eſſe concordiæ illi, quam mihi ſapienter & religiosè ſuades, infenſius, quam ſi Dominus Abbas Ciſtercii grandi illa spe quam Romæ concepit ſemper lactetur; ſi verò ab illa paulatim decidere, & cauſæ ſuæ ſenſim diffidere cœperit, tunc multo facilius ad amabilem illam Compoſitionem adducetur, quæ mihi quidem ſemper erit gratiſsima & optatiſsima, illis præſertim conditionibus, quas nobis mirabili judicio paucis verbis expreſsiſti, videlicet ut Reformatio ſtabiliatur & creſcat, & pax in Ordine ſervetur. Hæc ſi nobis Deus Opt. Max. opera tua, precibuſque tuis con-

cedat, Te certè tanquam Ordinis nostri Parentem & Reparatorem censebo, & reverebor, & quicquid tandem eveniat, sum & ero in perpetuum

Lutetiæ Parisiorum die 22. Maji *1665.*

Reverendissime Pater

Tuus addictiss. & obsequentiss.
in Christo Servus
Joannes Abbas de Precibus.

EPISTOLA XXVIII.

Lugduni Jo. de Bussion
1666.

PErgratam mihi rem fecit P. Poussines, quod occasionem mihi dederit, voluntatis meæ in Dominationem vestram commonstrandæ. Ab eo enim quod ejus opera legi, adversus Auctorem sum animo affectus mirifico; in quibus perspexi cum summo animi gaudio mirificam doctrinam & rerum varietatem; sed quod multo est majus, hausi sensus ad pietatem eximios. In præsentia, quod dignatur Dominatio vestra mihi gratias agere pro tenui illa opera quam impendi, est plurimæ humanitatis rependentis multo majus quam quod accepit. Interim expectamus opus illud eximium de Sacrificio Missæ, quod modò elucubrat; nec dubito quin spem & expectationem adæquet; nec enim de Aquila imprudenter judicat, qui de ejus volatu & perspicaci visu spem concipit. At cum Dominatio vestra tam eximiis afficit laudibus, laudabiliorem ipsa se præstat; quoniam nulli parciores sunt laudis, quàm qui ea minimè digni sunt. Mihi nihil modò superest, quàm Deum pre-

precari, ut diuturnam vitam tribuat Dominationi vestræ, quam impendit tam eximiè ad Dei gloriam. Rogo & oro ut me habeat in posterum, qualis sum
Lugduni 29. *Decembris* 1666.

Reverendissime Domine,

Humill. & obsequentiss. Servus
Joannes de Busson.

E P I S T O L A XXIX.

Reverendissime Pater.

Lovanii Christ. Lupus
18. *Mart.* 1666.

CONsueta apud Romanam vestram Paternitatem fiducia uti pergo. Hæc nostra Belgica Provincia sex solos semper habuit Sacræ Theologiæ privilegiatos Magistros, Viros eruditione ac morum probitate spectabiles. Verùm bonæ memoriæ P. Paulus Luchinus, Prior noster Generalis in sua visitatione induxit numerum denarium, & locum insuper fecit Magistris supernumerariis creandis per Breve Apostolicum. Hinc videmus nobis & esse & fore Magistros, de quibus dici non possit -- *Multitudo sapientum est suavitas Orbis terrarum* -- Exemptionum & Privilegiorum copia quantum noceat monasticæ disciplinæ, apud tantum reformatissimæ Religionis Prælatum nolim ego exaggerare. Reverendissimus P. Generalis nos ad avitum numerum ex gravissimis rationibus reclamantes non vult exaudire; ideoque Sanctissimo Domino supplicare cogimur per his inclusum libellum. Ex corde supplico, ut illum cum

congruis commendationibus exhibere, suæ in me indignum nimiæ benevolentiæ superaddere hocce beneficium, & omnem hanc nostram Provinciam perpetuo vinculo sibi adstringere dignetur vestra Reverendissima Paternitas, quam Deus Opt. Max. dudum custodiat. Dabam Lovanii, die 18. Mart. *1666.*

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ

Famulus devotiss.
Fr. Christ. Lupus.

EPISTOLA XXX.

Reverendissime Pater

Lovanii Christ. Lupus
22. Apr. 1667.

GEnerale Capitulum accedere, & in vita mea adhuc semel sanctissimum Dominum, Paternitatem vestram Reverendissimam, aliosque Patronos & amicos venerari, fuit mihi & etiam nunc est summopere in votis. Urgentes rationes, & Primatum hic Virorum consilia aliud invitò persuaserunt. Attamen opus bonum Generali Capitulo non adlegatur. Alma hæc Universitas facile habere potest & ex nunc quædam habet negotia tractanda cum Sanctissimo Domino, quorum caussa me adhuc possim in iter dare. Utinam succedat ista fælicitas; possimque discere a Paternitate Vestra Reverendissima, cujus & Scripta & Virtutum merita novit quam optimè hæc Universitas, & ex animo veneratur.

At-

Attritionis quæſtio magis incaleſcit. Certè ſcandala timeo & motus. Quod quidam hic Religioſi Divinæ charitatis neceſſitatem penitùs proſcriberent, erroremque tenellis puerorum animis cum ſcandalo inſeminarent, a Primatibus Viris rogata fuit ſacra hæc facultas manum ex more medicinalem. Ipſa quippe novis erroribus occurrere debet ex officio, & uſque huc fæliciter occurrit. Edidit primo damnatoriam erroris cenſuram: ſed parvo fructu. Hinc mihi reluctanti impoſuit Diſſertationem ſcribere è Sanctis Patribus: ſcripſi manu penitus invita. Non potui eſſe contumax. Eam impugnavit quidam Societatis Jeſu Clericus adeò impotenti animo, ut nos Janſeniſtas faciat ac Lutheranos, & de inauditis infamet erroribus. A Domino Internuntio rogatus promiſeram diſſimulare omnia, & a Sanctiſſimo Domino, ac Reverendiſſima veſtra Paternitate expectare purgationem; verùm noviter acceſſerunt tantæ Patrum iſtorum inſolentiæ, ut non ſolum perſonas noſtras, ſed ipſam præſertim veritatem non poſſimus ſalva conſcientia non purgare, & apud ſacram Facultatem & apud ſummos Belgii Viros non potui me excuſare. Utinam a quindena accepiſſem veſtras literas: Earum auctoritas me, uti confido, excuſaſſet. Sanctè interim promitto de hac me materia non ſcripturum ampliùs, relinquens omnia Sedi Apoſtolicæ, quæ utinam prohibere ſaltem dignetur, ut libertina ſervilis Attritionis Sententia deinceps non prædicetur ſimplici Populo, & præſertim tenellis puerorum animis in Catechiſmo non tradatur.

Benevolentiſſimas Reverendiſſimæ Paternitatis veſtræ literas legi ſacræ Facultati. Ex ipſis vidimus nos denuò ab Æmulis denigrari. Etiam hic aliud non quærunt, quam novos motus, & in aqua turbida piſcari. Aliud interim nobis non eſt ſtudium, quàm ut Catholici Dogmatis, & Apoſtolicæ Sedis jura hic in

Hæ-

Hæreticorum medio ferventur immutilata. Ex corde supplicamus, ut & Sanctissimo Domino, ac Eminentiss. D. Cardinali Barberino hæc suggerere dignetur Vestra in nos Benignitas. Si me ad Urbem proximo Septembri accedere judicet consultum vestra Prudentia, sacra nostra facultas est contenta. Adjungo quatuor sequentia scripti folia. Restant adhuc duo, mittenda per proximum Cursorem. Omnia ex corde submitto censuræ Vestræ, supplicoque excusari tantam importunitatem, & salutari illustrissimos DD. Augustinum Favorisium, & Hieronymum de Vecchiis, quos cum Paternitate Vestra Reverendissima Deus Opt. Max. dudùm custodiat.

Dabam Lovanii, die 22. April. *1667*.

Reverendiss. Vestræ Paternitatis

Famulus devotissimus
Fr. Cristianus Lupus.

EPISTOLA XXXI.

Reverendissime Pater.

Lovanii Christ. Lupus
16. *Julii 1669*.

ALexandri Septimi mortem omnes hic summe doluerunt. Et certè quantum Pontificem amiserimus, Reverendissima Vestra Paternitas novit. Academia hæc tristatur tantum illi defecisse temporis, ut Attritionis extingueret lites, cui bono operi fuisse promptam Vestra nuper significavit Benignitas, & de optimo Nuntio gratias ago. Illi summo malo accessit &

& aliud gravissimum: Extrema Belgii ruina. Tornacum, Duacum, Athum, Capitales Urbes ex nunc amisimus: Flere magis lubet quam scribere. Hæremus in profundo luto innumerarum calamitatum. Et nulla solatii spes, nisi a solo Deo. Animos tamen nostros plurimùm serenavit Clementis noni electio, de qua singulariter adgratulor Reverendiss. Vestræ Paternitati. D. Internuntius noster, penes quem futura est rerum omnium auctoritas, mirè æstimat atque veneratur virtutes vestras, & fore confido, ut ipsas evehat ad debitum illis gradum. Ita Divina Bonitas nos solari dignetur. Abiit ille a nobis, & mœstos dereliquit: Supplico ut in sua ac illius gratia & protectione custodire me dignetur Reverendissima Vestra Paternitas, quam Deus Opt. Max. dudum custodiat.

Dabam Lovanii, die 18. Julii *1669*.

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ

Devotissimus Famulus
Fr. Christ. Lupus.

EPISTOLA XXXII.

Reverendissime Pater.

Lovanii Christ. Lupus
19. *Aug.* 1672.

PRæsumo Eminentiæ Vestræ molestus esse. Habeo Nepotem Joannem Gratianum Lupum, Juvenem bonæ indolis & spei: Et is optat habere modicum Ecclesiæ Beneficium, quo adjutus compleat sua studia. Etenim Divina Providentia nobis dedit talia tempora,

ut

ut nostrum nemo erubescat se profiteri pauperem. Supplico ut apud D. Cardinalem Datarium, vel apud D. Cardinalem Altherium dignetur pro illo unum verbum facere. Nostra Scholia propediem venient ad Tribunal Eminentiæ Vestræ, quam Deus Opt. Max. Ecclesiæ suæ dudum custodiat.

Dabam Lovanii die 19. Aug. 1672.

Eminentiæ Vestræ

Minimus Famulus
Fr. Christ. Lupus.

EPISTOLA XXXIII.

Eminentissime Domine.

Bruxelles Christ. Lupus
23. *Anni* 1674.

QUod litigiosa in Causa cogor interpellare Eminentiam Vestram, gravissime doleo. Cogor ad avertenda publica scandala. Pater Generalis nostrum Priorem Provincialem suspendere tentavit ab officio, sine legittimis causis, & contra omnem Juris ordinem, & ex ejus decreto nihil sequi potest, nisi publica omnium nostrorum Conventuum & Fratrum discordia, atque ita eversio omnis disciplinæ. Ubi enim non est pax, quomodo posset disciplina vigere? Deo laus in fraterna pace vivimus, studemusque disciplinam & servare & instaurare, & Domino Deo juxta nostram professionem servire, & fideli Populo sumus bonus odor. At ecce Pater Generalis qui adjuvare deberet, turbat omnia. Pater Provincialis e Diffinitorii manda-

dato appellavit ad ſuam Sanctitatem: Sic enim oportuit. Quæ appellatio ſi procedat, erit Patri Generali admodum indecora. Rei ſeriem proxime exponam latius. Quò autem tendant hæc omnia, Eminentia Veſtra facile perſpicit. Hinc ex omni corde ſupplico ut Patrem Generalem ad ſe vocare, illi meliora conſilia perſuadere, atque hoc ſingulari beneficio totam hanc Provinciam noſtram arctius ſibi devincire dignetur Eminentia ſua, quam Deus Opt. Max. in bonum Eccleſiæ ſuæ diutiſſime cuſtodiat.

Dabam Bruxellis die 23. Anni 1674., quem feliciſſimum voveo

Eminentiæ Veſtræ

Minimus famulus
Fr. Chriſt. Lupus.

EPISTOLA XXXIV.

Eminentiſsime Domine.

Lovanii Chriſt. Lupus
9. Mart. 1674.

Eminentiæ Veſtræ, quod cruda hujus Provinciæ vulnera medicari dignetur, optima memoria apud nos erit in perpetuam benedictionem. Eſt incomparabile beneficium. Etenim hac in Provincia ſtuduimus regularem diſciplinam diligere, & producere utiles Eccleſiæ filios, atque ita talis motus eſt nobis perniciofiſſimus. Non ſumus adeo numeroſi, ut Prædicatores ac Minores: non enim admittimus niſi Juvenes bene natos. Et hic apud omnes ſumus boni odoris, & quidem poſt multas miſerias, quæ nobis etiam

crearunt præcipitata mandata Priorum Generalium. Certè hi opus habent, ut circa ultra-montanas Provincias non credant omni ſpiritui. Quod dico ad aures Veſtræ Eminentiæ.

Doleo quod Patrem Generalem in Italia non noverim. Hinc ipſi non audeo cum fiducia ſcribere. Interim aliud non ambio, quàm ipſi per omnia pleno animo ſervire: uti debet Patri Filius. Et ſupplico ut Eminentia Veſtra dignetur ipſum hac in re firmare. Hinc juxtà ſaluberrimum ac vere religioſum Eminentiæ Veſtræ conſilium, Patrem Provincialem induxi ad ſe humiliandum & poſtulandam veniam, ideoque ad fatendam culpam, ubi forſan illa non fuit. Et ipſe id facit per adjunctas litteras. Supplico, ut inchoatum pacis ſanctiſſimum opus complere, ſuſpenſionis abſolutionem obtinere, & meam nimiam fiduciam boni conſulere dignetur Veſtra Eminentia, quam Divinæ clementiæ non ceſſabimus commendare.

Dabam Lovanii die 9. Martii 1674.

Poſtrema Scholia ſpero perveniſſe ad Veſtram Eminentiam, cujus judicio illa plenè ſubmitto. Omnis hæc lis eſt nata ex Decreto, quo concluſimus dividendam hanc Provinciam. Et diviſio eſt penitus neceſſaria. Hinc & ipſam ſupplico P. Generali commendare.

Eminentiæ Veſtræ

Minimus famulus
Fr. Chriſtianus Lupus.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

Reverendissime Pater.

Lovanii Christ. Lupus
4. Maji 1674.

Plenè scio me Eminentiæ Vestræ benignitate abuti, ac esse importunum. Verùm a tanto Prælato, qui regularis vitæ omnia arcana novit, scio mihi gratiosè indulgendum. Prioris Provincialis suspensio hanc Provinciam præcipitat in grandia mala: Et præcipitabit in majora. Et P. Generalis permittit se circumduci mendaciis. Etenim quod P. Provincialis Provinciæ Sigilla substituto Rectori non tradiderit, est horrenda calumnia. Ea statim tradidit. Et quidem me invito. Studui illa subripere & custodire: Verum ille tradendo me prævenit. Provinciæ regesta illi eripui, & usque nunc custodio. Etiam illi author fui, ut Prioribus Conventualibus locum non cederet. Quare si quæ hic sit culpa, est mea.

Et volo mei facti rationes exponere Eminentiæ Vestræ. Primo, quia locus, sigilla, ac regesta sunt dignitatis propria insignia, ideoque nemo Prælatus illis se exuere debet nisi degradatus. Est clara Doctrina Sacrorum Canonum. Et omnis poena est strictissimè interpretanda, ideoque ab officio suspensus aliud non debet, quam ab administratione cessare.

Aliam rationem Eminentia Vestra dignetur ad aurem accipere. Eam invitus edico. Hæc omnia aguntur ex spiritu vindictæ. Pr. Michael Heckius, qui Romæ dicitur Assistens Germaniæ, graves hic lites habuit. Eum hæc Universitas expunxit ex albo Docto-

rum, & proscripsit a Scholis publicis. Rex Catholicus ejus quemdam librum prohibuit, & sub sigillis Regiis damnavit ad perpetuas tenebras. Et Regium Judicium Alexander Septimus confirmavit. Et hæc omnia Pr. Provincialis, etiam tunc idem munus gerens, debuit exequi, et fuit executus. Originales Cardinalis Rospigliosii, qui tunc erat a Secretis Status, & postmodo fuit Clemens nonus, ista jubentes litteræ apud nos servantur. Hoc apud istum Assistentem manet alta mente repostum, et modo operatur. Hæc item omnia sunt inscripta Regestis. Hinc ipsa ne raderentur, aut aliam paterentur injuriam, censui reservanda. Præsertim quia substitutus Rector non est cui credantur similia. Et certè talis Vir non fuerat evehendus ad Patris Generalis Assistentiam. Deo laus, jam a quadraginta sex annis in S. Augustini habitu studui servire Domino Deo: Et fui optimè educatus. At postea tertio vidi, & cum lacrymis dolui in Provincia turbari pacem publicam, ideoque & omnem disciplinam. Et semper id factum fuit per indiscreta ac præcipitata mandata priorum Generalium. Aliud nolo dicere.

Provincia modo est sine capite. Hinc & nobis illa mala, de quibus Sacer textus -- *Non erat Rex in Israël* -- Et nisi Pr. Provincialis reponatur, exurget factio Libertinorum, quæ omne aurum in scoriam, omne vinum verset in aquam.

Et ejus exordia ex nunc ita increverunt, ut P. Provincialem, quem timent a P. Generale reponendum, studeant excludere per violentiam laicam. Ille enim est Insulensis, ideoque per bellum subditus Regi christianissimo: Hinc illi dicuntur apud regis Catholici ministros agere, ut prohibeatur ab Hispanico Belgio. Suspicio non caret fundamentis. Verum nulla hinc difficultas. Regii enim ministri me audient.

Emi-

Eminentiſ. Dominus Cardinalis Alterius vocat me ad Urbem. Et quia amplius refragari non auſim, ſum venturus licet cum multorum hic offenſa. Hinc etiam videtur agi, ut Patris Provincialis abſolutio differatur uſque poſt meum diſceſſum. Tunc enim liberæ Vitæ amatores excutient omne frœnum, et agent ex arbitrio.

Propter has, & plures alias rationes humillimè ſupplico, ut Eminentia Veſtra agere dignetur cum Eminentiſs. Domino Cardinali Brancatio, & nos liberare quantocyus a miſerandis calamitatibus. Omni Belgio fecerit beneficium. Etenim in pleriſque hic Civitatibus publicè docemus Juventutem, ideoque domeſtica Pax, & monaſtica diſciplina ſunt nobis penitus neceſſariæ.

Et ut omnis obex amoveatur, P. Provincialis jam ceſſit ſuo loco. Etiam quaſdam litteras Patris Generalis, quas erroribus & obreptionibus plenas ego detinebam, juſſit tradi ſubſtituto Rectori: Et ſunt traditæ. Regeſta item tradam, ſi ita videatur Eminentiæ Veſtræ. At profectò non convenit. Interim abſolutio non debet ideo pati moras. Si quæ alia adhuc deſiderentur a P. Generali, quorum tamen non ſumus conſcii, implebuntur ad ejus nutum. In hoc parati ſumus omnes. Eminentiæ Veſtræ nomen erit apud nos in perpetua Benedictione. Etiam meæ importunitati ſupplico veniam ab Eminent. Veſtra in me indignum beneficentia, quam Deus Opt. Max. ad Eccleſiæ ſuæ ſolatium diu cuſtodiat.

Dabam Lovanii 4. Maii 1674.

Eminentiæ Veſtræ

Minimus famulus
Fr. Chriſt. Lupus.

EPI-

EPISTOLA XXXVI.

Eximie Pater Magifter.

REctor nofter propofuit Religiofis in fua Vifitatione, an in hoc Conventu factæ fuiffent fubfcriptiones in favorem Patris Provincialis, & an effent qui Romæ agerent pro ipfius reftitutione?

Ad utrumque refponderunt negative: id quod ab omnibus fignari voluit. Sed advertentes poftea quod illa Signatura graviter noceret Patri Provinciali: Inde enim deducerent quod nullus faveret Patri Provinciali, nec illum reftitui defiderarent; ideo nomine omnium proteftatus fum, quod per illam non velint in aliquo lædere caufam Patris Provincialis, aut diminuere affectum erga illum: Et cafu quo intellexerint Romæ aliquid vi illius fignaturæ contra Patrem Provincialem ab illis intentari, parati funt omnes fubfcribere, quod folùm dederint requifiti teftimonium rei quæ facta non eft. Sed fi opus fit, parati fint fubfcribere, & promovere, & facere ea omnia, quæ neceffaria fuerint & licita, ad ejus reftitutionem.

Deinde voluit ut proponerem Patribus confilii, quid pro honorario velint dare P. Magiftro Van Hecke, pro beneficiis præftitis Provinciæ? Et ad inducendum dixit, quod omnes Conventus, Huyenfi excepto, libenter contribuerint. Addidit quod idem propofuerit Priori veftro, qui propter abfentiam Patris Barré eo tempore Patres non convocavit.

Refolvit autem major pars Patrum Bruxellenfium, fe nihil ifto titulo velle dare.

Non fcio quid beneficii Pater Van-Hecke Provinciæ contulerit, hoc excepto, quod ejus opera fufpenfus fuerit Pater Provincialis. Unde cum propter illud be-

beneficium honorarium ab aliis Conventibus concessum mittetur, quid aliud significabunt, quàm quod grata fuerit suspensio Patris Provincialis?

Præterea nomine Patris Mertens institi ut daret licentiam sollicitandi facultatem ab Aula, qua posset visitare Conventus Regi Galliæ subjectos. Quam licentiam non voluit concedere, ut habeat occasionem scribendi, quod casu quo suspensus restituatur a Reverendissimo Patre, non poterit regere Conventus Regi Catholico subjectos.

Quod hoc intendat, significavit Dominus Velzemans in sanctiori Consilio Regis Catholici consiliarius, cum dixit: quod aliquis Religiosus petiverit ut scriberet, cum Domino Blondel Sanctioris consilii Regis Catholici itidem Consiliario, Reverendissimo Patri, quod Rex non velit ut Pater Provincialis Du-Pernes Conventus Insulensis regat Conventus Catholicæ Suæ Majestati subjectos, & inde fortè ortum est decretum nuper editum.

Denique durissimè agit contra Patrem Præfectum, insignem Religiosum, a quo exigit computum non tantùm hujus Capituli, sed ab illo tempore quo fuit præfectus. Nihil autem agit contra Patrem Quisthoudt, qui ad minus debet quadringentos florenos, ratione affixionis aliquando habitæ tùm ipsi Pictori, tùm fabro lignario &c. Hoc cum fuit per me Rectori propositum, respondit se non habere commissionem exigendi computum a Patre Quisthoudt, sed solùm ipsi a Romanis commissum ut exigeret a Patre Præfecto rationem dati & accepti totius temporis.

Præcipuum est quod nunc intelligo, quod Pater Superior ex commissione etiam Romana, qui in Capitulo constitutus fuit Pater Consilii, deponatur, ideo quia Fratres Clericos non deduxit ad osculum manus Patris Magistri Rectoris, concludentis quod sit continuata inobedientia & contumacia. Pa-

Patri Verdiere, Philoſophiæ Profeſſori, & probatiſſimæ vitæ Religioſo imponitur pœnitentia ſimiliter ex commiſſione Romana, quia decreta Reverendiſſimi Patris moderativa potus dixit obſcura, & contra illa poſſe aliquid opponi, quod forte ex joco, aut certè exercitii cauſa ſine ulla malitia fuit dictum.

Dixit hodie mane Pater Secretarius Patri Sacriſtæ in confidentia, quod Pater Provincialis ſit in proxima diſpoſitione, ut totaliter deponatur, & quod ei contrarius ſit Eminentiſs. Dominus Cardinalis Brancatius, & Altieri. Hoc accepit hac ſeptimana ex literis Romanis.

EPISTOLA XXXVII.

Eminentiſſime Domine.

Lovanii Chriſt. Lupus
26. Maii 1674.

QUotidie accipio ſimiles literas & querimonias. Et omne Belgium admiratur talem virum eſſe factum P. Generalis Aſſiſtentem, adeoque illi datas vires ad turbanda omnia. Nam per deſperationem exivit Belgio. Plura dicam, ſi contigerit me Romam pertingere. Certè vulnera graviſſima, quæ P. Generalis inflixit diſciplinæ regulari, debent corrigi, aut peribit hic noſtra Religio. Et nobis unica ſpes eſt in veſtram Eminentiam. Quod iſte vir dicat ſe læſum a P. Provinciali, eſt res ridicula. P. Seraphinus Carmelita novit virum. Eum ſupplico audiri. Graviſſimè doleo, quod cogar has ſordes obtrudere Eminentiæ Veſtræ: Verùm etiam ſimilia ſunt pœnæ noſtrorum peccatorum. Supplico mihi ignoſci a Veſtra Eminentia,

tia, quam Deus Opt. Max. diu Ecclesiæ suæ custodiat.

Dabam Lovanii die 26. Maii 1674.
Emin. Vestra dignetur hac scientia moderatè uti

Eminentiæ Vestræ

Minimus famulus
Fr. Christianus Lupus

EPISTOLA XXXVIII.

Eminentissime Domine.

Lovanii Christ. Lupus
26. Maii 1674.

VUlnera, quæ Pater Generalis infligit huic Provinciæ, numquam purgare poterit. Omnia implet scandalis, litibus, & lacrymis. Lacerat omnem fraternam charitatem. Scio non per ipsum fieri, sed per Patrem Heckium: Verum ipsius est frænare hominem, & ejus turbulentiis non cooperari. Vir iste studet tria hic explere. Primò regularis vitæ Zelatores dejicere, & erigere libertinos, imò & criminosos, qui omnia destruant. Deinde a Conventibus, qui omnes ex bellicis calamitatibus laborant extrema inopia, nummos extorquere. Tertio, se vindicare de omnibus quos hic non diligit. Hinc nobis in Provinciæ Rectorem obtrusit hominem ineptum, per omnia obnoxium & satellitem ejus cupiditatibus. Ipsius in Bruxellensi Conventu Acta videbit Eminentia Vestra ex adjunctis litteris Prioris Bruxellensis. Et istum ipsum minatur dejicere. Ego cum Sancto Polycarpo exclamo ad Dominum Deum = *Clementissime Deus, in*

quæ tempora me conjecisti? = Etiam clamo ad Emin. Vestræ pro Monastica disciplina zelum. Scio me ipso abuti: Verum optimorum Confratrum lacrymas quî possim contemnere? Flexis genibus supplico, ut Priorem Provincialem suo officio reddere dignetur Emin. Vestra, quam Deus Opt. Max. diu custodiat.

Dabam Lovanii die 26. Maii 1674.

Eminentiæ Vestræ

Minimus famulus
Fr. Christ. Lupus.

EPISTOLA XXXIX.

Eminentissime Domine.

Bruxelles Christ. Lupus
29. Junii 1674.

DEnuò licet erubescam, compellor Eminentiam Vestram interpellare. Scire studui quid esset de D. Gubernatoris nostri litteris ad Dominum Cardinalem Nitardum. Ex rationibus Bruxellas ire non potui, sed magnum virum rogavi ut dignaretur ire, & ivit. Et convenit D. Gubernatorem, Sanctioris Consilii Præsidem, & cunctos ejus Assessores. Porro ab aliquot septimanis exiit Regium edictum, quo omnes sub Rege christianissimo habitantes, etiam cujuscumque gradus Clerici, aut Religiosi, vetantur in Catholici Regis Civitates accedere citra D. Gubernatoris veniam. Dicto igitur primati viro & D. Gubernator, & D. Præses, & cuncti ejus Assessores uno ore dixerunt, nihil sibi esse contra nostrum Patrem Provincia-

lem,

lem, ab isto Edicto ipsum singulariter non tangi, ejus suspensioni se nullatenus misceri, atque ita se ab illius continuandæ voluntate esse alienissimos: Optare ut ejus causa componatur. Quin imò Illustrissimus D. Præses, ac ejus item Assessores admodum non dumtaxat mirantur, sed etiam indignantur, ac scandalizantur, Patri Michaëli Heckio Romæ fieri authoritatem turbandi omnem hanc Provinciam. Deinde indignantur, quod idem P. Heckius apud Eminentissimos Dominos ita audeat abuti Edicto Regio. Tertio asserunt se plurimùm scandalizatos a duobus ejusdem Patris Heckii emissariis, qui ipsis suggesserunt ex Patris Provincialis restitutione nascituros publicos Fratrum motus, atque ita ipsos ad præstanda isti restitutioni impedimenta sunt conati circumscribere. Hi sunt duo, quos Bruxellis habitare non convenit ex ponderosis rationibus, & quos P. Generalis illic firmat & sustinet sub sua immediata potestate. Dum talia scribere cogor, utinam nescirem litteras. Interim Eminentia Vestra novit arcanas miserias Coenobiorum. Et ut meis dictis fiat fides, atque ita hæc afflicta Provincia liberetur ab istis turbinibus, oro, ut Eminentiss. D. Ordinis protector dignetur ab Illustriss. Sanctioris Regii Consilii Præside postulare institutionem de moribus dicti Patris Heckii.

Eminentissime Domine, ex quo Roma in Belgium redii, ad regularem disciplinam & Ecclesiastica studia reparanda, nullas mihi dedi cogitandi ferias, nullam requiem. Et in proximo Provinciali Capitulo res videbatur pertigisse ad metam. Est mihi, & aliis multis valdè durum, quod illi, qui nobis deberent esse adjumento, omnia dejiciant. Hæc mala Sanctus Augustinus magis deflebat quam omnes bellicas a Wandalorum barbarie calamitates. Nisi, cessent hæc scandala, nostra hic Religio abibit in fumum. Et non

ſine detrimento Belgicæ Eccleſiæ. Hinc flexis genibus ſupplico, ut noſtri Provincialis reſtitutionem impetrare tandem ac tranſmittere dignetur Eminentiſſima Veſtra in nos benignitas, quam Deus Opt. Max. diu cuſtodiat.

Dabam Lovanii 29. Junii 1674.

Eminentiæ Veſtræ

Minimus famulus
Fr. Criſtianus Lupus.

EPISTOLA XL.

Eminentiſſime Domine.

Lovanii Chriſt. Lupus
17. *Aug.* 1674.

QUantum Eminentiæ Veſtræ debeam, affari non poſſum. Fui admodum importunus, ac impudenter moleſtus. Attamen non eſt meæ commoditatis, ſed ſpero egiſſe ex amore Regularis diſciplinæ. Hinc ſpero mihi ab Eminentiſs. Veſtra pietate gratioſe ignoſcendum. Eidem ago ſummas gratias, ſemperque agnoſcam novum hunc titulum acceſſiſſe aliis plurimis, ex quibus obſtringor Eminentiæ Veſtræ famulari. Etiam Provinciæ Diffinitorium proximè fungetur ſuo erga tantam Beneficentiam officio. Credebam adhuc videre Eminentiam Veſtram, ac præſens venerari; at neſcio quæ ex Belgio relationes intervenerunt quæ Eminentiſs. D. Cardinali Alterio crearunt alias cogitationes. Ego ſum illarum inſcius. Et de rei ſtatu D. Cardinalem jam inſtruxi. Ego obedientiam profeſſus ſum,

fum, & femper ftudui agere ex Superiorum arbitrio. Exiftimavi ipfum effe divinum Judicium. Quare & in hoc negotio quidquid D. Cardinalis cenfuerit, eadem mente exequar. Et hoc, fi occafio obtulerit, dignetur illi infinuare Emin. Veftræ Benignitas, quam Ecclefiæ fuæ Deus Op. Max. diu cuftodiat.

Dabam Lovanii, die 17. Aug. 1674.

Eminentiæ Veftræ

Obligatifs. famulus
Fr. Chrift. Lupus.

EPISTOLA XLI.

Francifcus Malaval
Capuitio Oratorii Jefu Superiori vigilantiffimo

falutem plurimam dicit.

Maffiliæ Francifcus Malaval
1669.

NOvis ut audio te Roma in dies eruditionis & pietatis detinet lenociniis: Novis te quotidie nodis ftringunt Petri vincula: & ita tibi arridet, ita te rapit quidquid Romæ monumentorum eft, ut in noftras has regiones relabi quodammodo verearis. Profecto jam non dicam Romam fororem Maffiliæ, fed Novercam, quæ illi fua ornamenta rapit ac fovet, & velut quodam jure imperii omnem terrarum fapientiam, omnem probitatem fibi vindicat. Numquam incidit in me mater tua, quin amantiffimis de tua illa commoratione querelis fi fcifcitetur a me, an propediem ve-

venturus sis. Objicio muneris quod tibi incubuit, Partes necessario subeundas, negotiorum ingruentium vices, & ingenium loci ita sanitati tuæ faventis, ut qui hic langueres, illic revaluisse videaris, & quodam juventutis flore micare. Illa quidem ut ad omnes pietatis motus non ægrè animum inflectit, querendo gaudet divini numinis in ista remansione impleri voluntatem, & absentiam tuam in Deum refundit, ne tibi aliquid exprobrare videatur: Ego verò qui amicitiæ liberius indulgeo, hujus quam in te revereor pietatis opinioni quamdam suspicionem de innocentium, quibus istic caperis voluptatum, immodico amore, libenter patior admisceri. Frueris utique usque ad animi libidinem sereno & tranquillo Coelo, quod Summus Pontifex Clemens Nonus, plusquam novies Clemens suo adventu aperuit, cujusque serenitatem in totius Ecclesiæ Orbem longe lateque diffudit.

Ignosco tamen non invitus, si Romam a te multum amari contingat, in qua non modo fidei personari oracula, cujus illa mater & nutrix genuina est, sed in qua circa mores veritatem apertè proferri, non tantum ab Optimo Pontifice conceditur, verùm etiam jubetur. Legi enim non sine summa alacritate in humanissimis litteris tuis accersitos esse imminente quadragesima ab Illo Concionatores, jussosque veritatem sine fuco, sine formidine prædicare, etiamsi illum spectaret monitio; nec enim in quo delinqueret emendari se recusare: Legi, inquam, hoc, & legendum præbui, quod multos miro gaudio cumulavit. Apud quem enim veritas etiam arguens, non odium parit, is sanè Pontifex suæ vitæ exemplo orbem, orbisque Principes, veritati ipsi quæ lucet, plerumque infensos erudit, & mendacii ubique machinas molientis summam vim reprimit.

Ti-

Tibi interea gratulor, Reverendi & Perillustris Bonæ notitiam. Ejus doctrinæ fama in hoc Regno dudum percrebuit; & quamvis aliorum quos edidit librorum titulos & commendationem audierim, unus tamen ad meas manus pervenit: *Manuductio ad Cœlum*, qui libellus melle Coelesti totus difluit & ad Coelum inter amoenitates manuducit. Opusculum hoc, oleum e Patribus expressum est, & multæ ac laboriosissimæ lectionis dulcissimus fructus. Ego quidem si tanto Viro placere potui, audeo de meo contemplationis opusculo bene sentire & invidentium tela alacriori animo retorquere. Certè ubi summum candorem cum summa eruditione copulatum invenias, sicut in Bona mirè elucent, difficile est sui laboris non sortiri Patronum. Hujusmodi viri non tantum, si qui fortè illapsi fuerint, nævos humanissimè excusant; sed si quid in opere aliquo boni fuerit, liberè attollunt, ut authorem ad majora provocent. Conatus sum in hoc libello piis prodesse, & difficilem atque intricatam materiam, qua potui claritate, illustrare. Cætera ex Prologo non repeto, qui malevolorum ictus prævertitur, nisi quod multi ex aliorum dispendio ramusculos captant, & cum ædificare casas non sufficerent, ad destruenda Palatia, quod vilissimo cuique pervium fuerit, animum intendunt.

Qualecumque est opusculum nostrum jam tertio prælo excusum, non ausim præ pudore tibi asserere quanto piorum applausu tum in seculo, tum extra seculum degentium, *qui gustarunt & viderunt, quoniam suavis est Dominus*, exceptum sit. Duo autem hostium genera expertus sum; eos videlicet, qui Deum simplici contemplatione non solum non gustant (quod certè omnium non est) sed in quibus etiam non omnis seculi gustus intermortuus sit, & qui cum Angelorum pane Ægyptia quoque allia comedere nituntur. Itaque in-

invident acerrime, mundum edentibus panem, & cum ſint Magiſtri in Iſraël, videantque Deum cujus cum ſimplicibus ſermocinatio eſt, pios ac ſimplices benigno ſuo beantem conſpectu, non poſſunt præ invidia tacitam Salvatoris reprehenſionem ſuſtinere: *Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras;* qui paulo poſt adjungit: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo:* & nemo ad Deum ſimplici fidei oculo contemplandum aſſurgit, niſi qui de ſuperbæ rationis faſtigio, de methodicis orandi compedibus, & de affectuum terrenorum perpetua loquacitate ſeſe expedierit, ut rationem cum fide commutet, methodum cum ſimplicitate amoris, & rumorem Marthæ ſollicitæ cum ſilentio pacificæ Magdalenæ.

Alios item hoſtes inveni, qui rem ab authoribus implicari atque obſcurari ſolitam, tam claro facilique ſermone expoſitam eſſe conſpicientes, ſuſpicati ſunt nimiam illam claritatem non manare ex abſtruſis Myſticæ fontibus; & velo myſterii ſublato, inſcitiam, aut infirmitatem propriam erubuerunt. At Deus tum ex occultis, tum ex apertis gloriam trahit: *Et qui tenebras poſuit latibulum ſuum; in ſole* quoque *poſuit tabernaculum ſuum*. Habet Paterfamilias unde Aquilas paſcat, & unde enutriat columbas. Illius amoris eſt præbere cibum tempore ſuo; nobis verò qualemcumque præbet, capeſſere præcipitur, ſive vulgaris ſit, ſive de ſummi Regis menſa proferatur. At non poſſum tanto Mecœnate magnopere gloriari, cujus in authoritate gratia, in candore Patrocicium, in eruditione ſitum eſt ſummum rei integrumque judicium.

De illo autem opere ſcholaſtico, cujus mentio irrepſit in Prologum, dicam planè quod res eſt. Audieram multa de contemplatione, & fortaſſe nonnihil de illius ſuavitate arcano guſtu delibaveram, cum intimas mentis latebras ſubintrans, tentare apud me con-

conſtitui, utrum quod de hujuſmodi oratione intellexeram, meo agendi modo, Deo adjuvante, exequerer, an id quod partim exequebar, partim ſentiebam, ritè intelligerem. Excutiens ergo imagines eorum quæ audiveram, quæque in me quærebantur, effudi tumultuario ſermone, & rudi atque inculto Scholæ habitu, qui ornamenta non novit, quod de oratione hujuſmodi mihi ſentiendum eſſe videbatur, nullo quidem animo quàm memetipſum mihi oſtenſurus, atque ita accuratiori attentione confirmaturus divinæ incepta virtutis. Opus illud utcumque exaratum amicis oſtendi, qui ut omnibus prodeſſet, gallico ſermone efferre perſuaſerunt. Huic partim ſubobſecutus concilio, gallicum opus dedi: ſed ut novo in me tentarem experimento quid perenniter ſentirem, nullo modo ad primum opus animum reflexi, ſed ſedatiori ſpiritu, ac ſi nihil prius in hac re edidiſſem, Dialogum ſcripſi: placuit piis & doctis, & mihi è manibus ad prælum divulſus eſt. Prius autem opus manuſcriptum adhuc extat, ne deterſis quidem ſtyli ſeſe negligenter effundentis labeculis. Itaque quamquam familiares oculos admittere poſſit opus, eruditos tamen & perſpicaces Bonæ oculos reformidaret, qui cum quotidie mirifice ſcribat, nævos & inconcinnitatem meam Romam mitti, neutiquam approbaret. Exiſtimavit ille meo quidem judicio typis fuiſſe mandatum, verum adhuc prima exilientis calami lineamenta in ſcrinio retineo. At ſub idem tempus, quo tuas literas accepi, alteram Dialogi partem Pariſios miſi, quæ priorem tuetur atque confirmat. Simul atque typis excuſa fuerit mittam Romam exemplar, Reverendiſſimo Bonæ tuis manibus offerendum; & fore ſpero ut ſi prior Pars non diſplicuit, poſteriorem non improbet. Plurimum illi gratiam habeo, & hanc meo nomine referendi quæſo ne moram feceris pro Benevolentiæ te-

ſtimoniis erga me exhibitis: relaturus utcumque ſim quoties tanti viri celebrandi opportuna ſeſe dederit occaſio.

Nihil in noſtra Civitate vel ad nunciandum recentius vel ad audiendum jucundius accidit, quam regiarum triremium ex hoc Portu in Candiam diſceſſus Idibus Maji. Mane circa quintam horam exploſum eſt tormento bellico diſceſſionis ſignum, & paulo poſt cum ſe adornarent triremes, expanſum eſt in trireme Principe vexillum Pontificium, quod numeroſa ex ſingulis triremibus tormentorum ſalutatione exceptum eſt. Sed quod tuum animum tenero quodam devotionis ſenſu percellat, Populus Maſſilienſis qui ſub auditum profectionis ſignum ad Portum undequaque concurrerat, ut Petri vexillum conſpexit, in lacrymas effuſus eſt, & ignitas tormentorum ſalutationes prodeuntibus e flammeo corde lacrymis cumulavit. Admonebatur nempe hanc claſſem ad tuendam fidem eſſe inſtauratam, & obſeſſis Chriſti fidelibus ſuppetias ferri. Itaque claſſi ab omnibus bene precari cœptum, ut in hoc ſigno, quod eminebat, vinceret, & turcicam ferociam ejus virtute comprimeret. Illos utique trepidantis Populi fletus vertat Deus in triumphales gaudio lacrymas, & tantum belli apparatum coronet inſignis victoria. Id precare & vale.

Maſſiliæ decimo ſexto Kalendas Junii anno ſalutis 1669.

EPI-

EPISTOLA XLII.

Perillustris, ac Reverendiss. Bona.

Massiliæ
Franciscus Malaval 1669.

PLurimùm humanitatem tuam, qua me apud amicum prosecutus eras, datis quoque ad me literis cumulare non dubitasti, quæ mihi & tuam benevolentiam confirmant, & novos ad te ipsum meis litteris cohonestandum aditus aperiunt. Adieram te obliquo tramite, tuæ scilicet doctrinæ splendore perstrictus, & alieno ore dumtaxat grati animi testimonium exhibere ausus eram: Nunc ipse gratias ago tum de ingenua benignitate, quam erga ignotum ostendisti, tùm de gravissimo tuo quod de opusculo tulisti judicio, tum denique de suavissimis litteris tuis atque omni humanitate repletis. Addis calcaria currenti, & dum opusculum nostrum tuo suffragio dignaris, spem aliquam inferis non infructiferum fore quod prælo subjectum est. Ausim asserere, Bona Reverendissime, non alium me in opere edito, aut in cæteris posthæc edendis scopum intendere, quam Dei omnipotentis gloriam, & utilitatem legentis. Quin imò firmaturus apud me hoc consilium, mihi ipse confusionem publicam intentavi & precatus sum, si quando in scribendis libris ad meam gloriam callidus aspiratem. Non is profectò sum, qui gloriæ stimulum non sentiam; atque utinam: verùm ipsa gloria præcipuus scribendi stimulus non est: ingerit sese atque intrudit non excitatus, non provocatus; sed tanquam infirmæ humanitatis nostræ subtilis & insidiosus hostis. Quid est enim, amabo, librum edere captandi honoris gratia,

quam peccato typis mandato lucem publicam emere, & divina talenta cum vilissimis laudibus commutare. Non dubito quin in præclaris tuis operibus edendis ab omni inquirendi honoris cupiditate sis planè alienus. Deum ambis non humanos fucos, & tanto Deum ambis ardentius, quo divina plenius, perfectiusque intelligis. Diarium eruditorum quod præteritis annis Parisiis scribi solebat honorifice laudat opus tuum de cantibus Ecclesiæ, in quo præ cæteris annotat te de authoribus, quos in hoc libro adducis, judicium ferre, quod sanè viri est doctissimi nec perfunctoria lectione transcurrentis authores. Velim & aliorum quæ hactenus ex tuo Museo prodierunt, operum habere Catalogum, ut eruditionis uberrimæ & sanctissimæ specula libris meis possim adjungere. Curam hanc mittendi Catalogi demandavi Capuitio nostro, qui tenuitatem Epistolæ nostræ suis ipse testimoniis roborabit.

Massiliæ 22. Septemb. *1669.*

Tuus in Christo obsequentiss. Servus
Franciscus Malaval.

EPI-

EPISTOLA XLIII.

Bonæ Cardinali Eminentiſſimo.

Franc. Malaval utramque felicitatem precatur.

Franc. Malaval
Decemb. 1669. Maſſiliæ

CUm mihi allatæ fuiſſent jucundiſſimæ literæ Promotionis tuæ Cardinalis Emin., tanti Nuntii magnitudine perculſus ſtatim emergentes lætitiæ motus repreſſi, totuſque coram Deo in gratias effuſus ſum, cujus Te unius munere ad hunc dignitatis apicem conſcendiſſe nemini non eſt compertum. Nec profecto ſine erumpentibus lacrymis quas tenerrimus quidam divinæ erga Te beneficentiæ ſenſus exprimebat, cogitare potui quanta ex Te ampliſſimo Cardinalium Collegio omnium virtutum ac meritorium fieret acceſſio, quantaque ſupernæ cujuſdam magnitudinis ornamenta in ipſam dignitatem eveheres.

Deo Te acceptum refert Eccleſia non mundo Cardinalis Eminentiſs., nec niſi afflante Numine factum eſt, ut vir ab omni ambitione uſque adeo alienus, & ſanctiſſimæ cui ſe mancipavit Religionis mirum admodum ſtudioſus ad hanc dignitatem repente extolleretur. Non tantum refugiebas, ſed ne cogitabas quidem purpuram, quæ Te propius inſequebatur, tibi ipſe ignotus, quæque lumina late diffunderes inſignis humilitatis munere nequaquam reſpiciens, atque ita ſub humili Religionis veſte futuram gloriam abſcondebas. Verum cum Romæ paupertatis tuæ dudum patefeciſſes divitias, expoſuit Deus univerſo orbi Theſaurum ſuum, & cum Eccleſiæ ſummum cardinem præſtitit, qui in ip-

ipso columnam & firmamentum perpetuo collocavit.

Quam bonum est Cardinalis Eminentiss. præstolari cum silentio opus Dei: quærenti sincere verbum Dei cetera justo copiose adjiciuntur; & qui Deum sibi ante promeritus est, mundum omnem etiam nolens, etiam repugnans sibi vindicavit. Deus ipse justum format, ipse perficit, ipse promovet, & se prius dignum facit esse quam mundo: non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat, ipse coronat, ipse intelligit merita, ipse distribuit munera, ipse famam confert & sustinendæ famæ gratiam affert.

Mandata peragebas in Monasterio, & nunc pro tribunali proferes judicia: mutavit Deus obedientiam in imperium, ut qui a regia illius servitute nunquam recessisset ad illius dignitatem & celsitudinem omnes obstupescerent. Paupertatem fovebas, & Te nunc magnificentia circumdabit ut etiam in ipsos pauperes refundatur. Ad corporis tui infirmitatem quotidie augendam propendebat spontanea poenitentia; at nunc Ecclesiæ incolumitas, & Summi Pontificis cura, quæ tibi tanquam provido aulæ Apostolicæ Principi commissa esse videntur, tuam tibi valetudinem commendant & credunt, ut dum tibi parces, Ecclesiæ possis indulgere, atque amplissime prodesse. Ita pauperem suscitavit Deus a terra Religionis sanctissima, terra cujus centrum est humilitas, terra hominis inter vota renascentis; a terra inquam illa suscitavit inopem: & quoniam omnia arbitratus es stercora ut Christum lucrifaceres, pulverem tuum decoravit Altissimus, & gloriosam abjectionem gloria ornavit.

Gaudeo certe gaudeo, Cardinalis mihi dilectissime, corruptis istis temporibus sydus in Ecclesia excitari, quod benignos in peccatores a supremis Dei luminibus eliciat influxus, & ad hunc apicem te sustulisse un-

unde quo altior existis eo validiores radios effundes; neque enim supra homines futurus es, nisi ut humilitatis altitudinem commendes, & infirmitatis humanæ pondus subleves.

Nihil enim tibi ex novæ dignitatis cumulo prorsus accessit, quam Ecclesiæ lucendi munus; quippe jam lucendi merito eminebas, & privatus non Princeps illuminabas Ecclesiam. Sufficiebas tibi, & nunc Ecclesiæ te totum dicabis, atque impendes. At certe quidquid honoris ac reverentiæ ex nova dignitate in te conferatur, gaudeo & venerabundus exulto quod sufficiet tibi Deus, & quod in illo totius gloriæ apicem consummabis. Lucebas quidem eruditione prorsus singulari, quandoquidem doctissimis consultationibus tuis Collegium & plerosque summos Pontifices in admirationem atque amorem tui pertraxeras. Pontificum quidem Decreta, Congregationum responsa & placita tuis luminibus refulgebant, & tuarum virtutum candorem maximum referebant. Sed in suo vertice lampas nondum collocata fuerat, ut suas flammas longius posset ejaculari, & ut illustraret orbem atque incenderet. Multis hactenus Pontificibus in deliciis fueras; sed Clemens IX. antecessorum vota & judicia complevit, & diu tuâ doctrinâ palam privatimque potitus, tuis exhilaratus colloquiis, tuis consiliis roboratus, sibi demum, Collegio, & Ecclesiæ cumulatissime satisfecit. Gratulor sane quod singulis eximio meritorum cumulo respondere possis, & majorem illis splendorem afferre. Vereor tamen ne cum omnes ad te erigendum uno animo confluxerint, tantum tu ab illis humilitate diffideas quantum caritate conjunctus es; cumque omnes in hac re tibi satisfecerint tu ipse tibi non satisfacias. Surge ergo si lubet ad augustissimam dignitatem obedientiæ motum sequens & ab ipsa obedientia imperandi potestatem accipe, ut dum hu-

humilitas Te ad faſtigium perducit, dignitatis tuæ fundamenta altius conſtabiliantur, & qui ſemper ſervire concupiſcis, ſervus ſervorum Dei aliquando efficiaris. Ita precatur qui Te ex intimo corde veneratur & diligit.

Eminentiſſime Cardinalis

Maſſiliæ 15. Kal. Januarii an. *1669.*

Umiliſs. & obſeq. ſervus tuus
Franciſcus Malaval.

EPISTOLA XLIV.

Bonæ Cardinali Eminentiſſimo.

Franciſcus Malaval utramque felicitatem precatur.

COgnovi ex humaniſſimis litteris tuis, & ex amici noſtri teſtimonio, Cardinalis Eminentiſs., qua benignitate librum noſtrum ſuſceperis, & quam ſummam humilitatem in ſumma dignitate profiteris. Vere ſupra petram, quæ Chriſtus eſt, domum tuam edificaſti, & non prævalebit ſublimitas ubi humilitas dominatur. Maximus contemplationis fructus eſt ſe in Deo ſemper minorem intueri, & impotentiam ſuam agnoſcendo introire in potentias Domini. Quamobrem quæ undique humilitatem ſpirant litteræ tuæ qualemcumque in me Dei contemplationem illuſtrabunt, nec adeo intellectum ſpeculationi tradere docebunt, ut non etiam humilitate & amore lumina mea moneant ſuperare: tunc enim aliquo divinæ cognitionis progreſſu exultabo cum me nihil eſſe plane intellexero: hæc gloria mea, hæc quies eſto. Faxit Deus, Cardinalis Emi-

Eminentifs., ut tuis hifce documentis, atque exemplis Ecclefiam diu informare poffis. Ama nos interim quæfo, & aliquam maximarum virtutum tuarum imitationem tuis apud Deum precibus nobis impetra.

Maffiliæ *6.* idus Decembris 1670.

Humillimus atque obfequentifs. fervus tuus
Francifcus Malaval.

EPISTOLA XLV.

Cardinalis Eminentiffime.

Maffiliæ
Francifcus Malaval 1673.

PAucis diebus elapfis poft acceptum opus de difcretione fpirituum, quod tua Benignitate mififti, incidi in morbum, qui me aliquot menfibus detinuit, & confuetis officiis obeundis planè ineptum præftitit. Nunc liberior gratias ago, & pro falute Ecclefiæ tantum tibi de difcretione fpirituum cœlitus concedi precor, quantum ex Sanctis Patribus doctè, dilucide, pieque ad hoc opus confcribendum haufifti. Pauci in eam materiam dedita opera incubuerunt: certè hujufmodi liber afceticæ fcholæ neceffarius erat. Illum Confeffariis aliquot legendum tradidi; Nefcio an aliquod exemplar Parifios miffum fit; nec enim dubito, quin ftatim typis mandetur. Cæterum morbo interpellatus viæ compendii ad Deum verfioni fecundam manum admoveo, & ut in viam, quam ritè aperis introductus lectorem magis afficiam, tuique laboris ponderi, atque luminibus nihil detraham, facrificiorum tuorum ali-

quam partem postulo, & plurimam incolumitatem tibi exopto.

Massiliæ 6. Kal. Septemb. 1673.

Cardinalis Eminentissime

Tui obsequentiss.
Franciscus Malaval.

EPISTOLA XLVI.

Bonæ Cardinali Eminentissimo

Franciscus Malaval plurim. salut. dicit.

Massiliæ
Franc. Malaval 1673.

TOt tantisque Ecclesiæ districtum negotiis vix audeo te, Cardinalis Eminentissime, litteris meis interpellare, quamvis & affectus quo te summe diligo, & in rebus eruditionem aut pietatem spectantibus consulendi desiderium sæpius ad scribendum me provocent. Sed tibi non injucundum fore spero, qui me quoque diligis, si Vitæ S. Philippi Benizi, quam scribere rogatus sum, unum exemplum mitero. Si non indignè scripsi, gratias pro me Deo Optimo maximo refundes qui ex ore peccatoris tam Sancti viri laudem perfecit: Sin male, veniam apud Deum deprecaveris, qui etiam maculas nostras in Sancti laudes potest sua benedictione convertere. Fœcundam quidem gloriæ messem in tot negotiis, quæ pro Ecclesia gessit adeptus Philippus, sterilem & neglectam in veteribus Ordinis Chro-

Chronicis sortitus est historiam. Collegi fragmenta quæ supersunt, & pro meo modulo in ordinem digessi ut in his Regionibus, quæ vix quicquam de S. Philippo audierant, Fidelium bono prodessent: Quod præmissum ad lectorem monitum uberius exponit. Quapropter cumque hoc opus benignis oculis intuere, Cardinalis Eminentissime, utque scribentis mores a Sancto quem exhibui, non prorsus abhorreant, divinam pro me, misericordiam exora.

Subiit deinceps animum singulare Opusculum tuum, *Viam Compendii ad Deum per motus Anagogicos*, gallica versione donare, quæ nec verbum verbo serviliter reddens, nec in Paraphrasin excurrens, rerum lucem ac pondus in aliena lingua conservet. Jam operi manum admovi, exemplum nactus editionis anni 1657. quod si aliqua commutare aut adjicere tibi in animo esset, vel jam Opusculi recentior prostaret editio, libenter propositam Versionem novis luminibus decorarem; si quidem non dubito quin spirituales qui latine nesciunt, aut latinæ linguæ gravitati non satis assueverunt, multum ex hoc libello fructum consequantur, qui tum Cœlesti doctrina, tum Orationum jaculis totus inflammat, & percutit. Boni mentem nostram consule: tua me benevolentia semper fove, & Vale.

Massiliæ pridie Kalendas Januarii anno 1673.

EPISTOLA XLVII.

Eme Rme Domine Pne Colme.

QUoniam æquitatis ratio postulat de eorum nos exaltationibus gratulari, quos & Apostolica Romana Sedes suis favoribus, & propria aeque virtutum merita ad Eminentiss. dignitatis culmen in Orthodoxæ Ecclesiæ Hierarchia provexit, hinc est quod Eminentiam Vestram hisce humillime & ex debito accedentes eidem divinitus provisam & meritissimo delatam supremam S. R. E. Cardinalatus dignitatem devotissimo cum affectu adgratulemur, & pariter e cælis in compendio exoptamus cumulum omnis quæ desiderari potest felicitatis, minime dubitantes, nos nostramque Benedectinam per Helvetiam Congregationem, quam Paternæ Emin. Vestræ protectioni ac patrocinio unice commendatam cupimus, tanto efficacius ejusdem Patrocinio deinceps frui turam, quanto sanctius Benedictum ac Mellifluum Regulare Institutum ab ipsius Purpura & coronis dignissima vitæ ratione illustratum agnoscimus. Qui invicem per assiduas nostras nostrorumque Fratrum ad Deum Virginemque ejus matrem orationes pro Emin. Vestræ diutissima incolumitate precabimur.

Dat. in Monast. Murensi die 14. Januar. 1670.

Emin. Domin. Vestræ

Devotifs. Servi
Visitatores & Abbates exemptæ Congr. Benedictinæ Helveticæ

F. Dominicus Surius Congreg. Secr.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

Eminentissime Domine.

IN tanto & tam longo luctu jacuit usquemodo mater nostra Cistercium iteratis intra paucos menses duorum Abbatum funeribus, ut ne oculos quidem veluti dolore gravatos ad Emin. Vestram attollere, nec sua lilia vestra decorata Purpura considerare licuerit. Jam vero tersis qualitercumque lacrymis, & fletu dimisso ego qui meorum fratrum communi suffragio quasi caput tum constitutus, ejus, ut arbitror, debeo sensum interpretari, & dum Romæ pedibus Sanctitatis Suæ supplex asto electionis meæ confirmationem petens, vestrum quoque rogare præsidium; quod eo facilius & confidentius spero quod tantorum Præsulum majorum nostrorum vestigiis inhærens Emin. Domin. Vestra cor gerere nobis Cisterciense videatur; licet enim ita nobis de mente Vestra sentire, quandoquidem foris, in stemmate scilicet, cum omni gratiarum actione & meo & fratrum meorum nomine cognoscimus quanto Cistercium amore prosequatur & honore: felix ergo Cistercium si tanti Ecclesiæ Principis patrocinio fulciatur, quod nobis & toti ordini nostro ea qua possumus animi devotione & reverentia postulamus.

Emin. Dominat. Vestræ

Cistercii die 24. Sept. 1670.

Humill. & ad omnia paratiss. obsequia
F. Joannes electus Abbas venerabilis Cistercii.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

Eminentifs. ac Reverendifs. DD.
JOANNI BONA
S. R. E. Card. amplifs.

Michael Marini Sacerdos Venetus in Ecclefia Parochiali, & Collegiata S. Pantaleonis Venetiarum Titulatus fauftiffimam perennitatem.

Venetiis Michael Marini 1670.

MIrificum, planeque aureum libellum tuum, qui *Manuductio ad Cœlum* infcribitur etiam atque etiam attentiffimè legi, Cardinalis ampliffime, majore ne voluptate an fructu, non facile dixerim. Tanta fiquidem in eo eft, tamque exquifita doctrina facili methodo, ac fuaviffimo dicendi ftylo explicata, ut & fingularem legentibus jucunditatem, & uberrimam fimul afferre queat utilitatem. Quod non modo mihi omnium ineptiffimo, verùm etiam omnibus aliis de re Litteraria optimè fentientibus, vifum fatis eft, ac fuperabunde. Quod enim ad voluptatem attinet, fi voluptas quàm maxima eft, fi incredibilem quemdam in modum intimis fenfibus afficimur, dum elegantiffimi Sermonis leporibus, dum variis ingenii luminibus, dum rerum, ac fententiarum pondere permovemur, dum aptis conftructa vocibus oratio miram noftris auribus, animifque jucunditatem infundit; quodnam dicendi genus tuo dignius, dulcius, luculentius inveniri queat? Accedit porro tuus in enarrandis rebus ordo pulcherrimus, vifque in fuadendo mira, pari cum brevitate, ac perfpicuitate conjuncta, quod ut in Scriptore egregio rarius, ita eo præclarius communi om-

omnium judicio existimatur. Quod verò ad fructum spectat, quem ex eo capere licet; illum profecto maximum esse, nemo, qui rectè sentiat jure in dubium revocaverit, si animum Lector induxerit ipsum in manibus frequenter habere, tractare assiduè, observare, edifcere. Quis enim non videat esse in eo congestas tam exiguo volumine omnes christianæ pietatis pretiosissimas opes? Quis non intelligat in eo ipso latere Sacræ Theologiæ, moralisque Sapientiæ arcana, tam clarè, tam distinctè, tam breviter explicata; ut quæ Viri tantum summa sapientia præditi longo studio consequuti sunt, ex ipsa vel mediocribus (dicam verius) imperitis quoque hominibus statim patere possint? Quis vero illam attentè legat, qui se a rerum terrenarum studio abduci, ad egregios mores informari, ad veram Religionem, ad Cælestium cupiditatem vocari, a vitiis denique ad virtutes quasi divina quadam vi abripi non fateatur? Adeo nimirum salutares in se continet, atque efficacissimas admonitiones, tam multis, iisdemque utilissimis abundat institutionibus. Quocirca cùm ipsum sæpè sæpius legerim, hoc idem vel in me uno clarissime expertus, eam jampridem de illo imbibi animo opinionem, ut (libere enim dicam, quod sentio) nihil posse legi hocce in genere perfectius existimarim, atque hunc plane esse inter tot librorum nostra hac tempestate tam superfluentem copiam, qui vel unus ipse legi dignus, vel cunctis dignior ab iis, qui christiano nomine censentur, jure optimo esse videatur. Verum de his hactenus. Venio ad me, qui sane gravi temeritatis, atque impudentiæ nota apud Te coarguendus esse meritò videar, quod semissis homo, nulliusque Literaturæ, Te, eximium videlicet Virum, in altissimo dignitatis gradu collocatum, liberalibus disciplinis excellenter excultum, clarissimis præcipuarum virtutum insignibus con-

condecoratum, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Præstantissimum, nunquam mihi visum, hasce tamen per literas alloqui minime verear. Atqui tum ad id nulla alia me causa impulerit, quam quod cum me in Tui amorem, atque observantiam (quamvis longè absim) mira illa tua, qua maximè polles, in dicendo suavitate, atque elegantia pellexeris; majorem certe Tibi meæ singularis in Te observantiæ significationem dare non poteram, quam si illam ipsam scriptis Tibi declararem. Quod te mihi arrogantiæ daturum non arbitror, quin potius, si quod de Te, tuaque incredibili morum comitate, planeque Sanctitate hic quoque deprædicat communis omnium vox, veritati est consonum (uti verissimum esse pro certo habeo) non modo est quod pertimescam, Te officium hoc meum ægrè laturum, sed læto planè animo (quæ tua summa erit humanitas) probaturum esse confidam. Est porrò alia Causa, nec minoris momenti, cur hasce ad Te literas dare decreverim, nempe ut quamnam de hujusmodi libello tuo hic omnes ferè honorificam sententiam ferant, certior per me quoque fieres. Cum enim ex Reverendissimi hujusce Cleri Veneti decreto munus mihi edocendorum Clericorum demandatum sit, eundemque illum enucleandum meis Auditoribus proposuerim, quamplurimis postea harum Parochialium, ac Collegiatarum prudentissimis, ac piissimis Antistitibus visum est, ut per me vernacula lingua (additis nonnullis selectioribus adnotationibus) ad communem omnium utilitatem exponeretur, quod & facere jam institui. Arduam igitur hanc (Deo dante) Provinciam aggressus, adnotationes aliquot digniores (quantùm tamen pro viribus licuit, quasque diuturno studio, atque assidua ipsius lectione observare potui) meo marte adjeci, quæ scilicet mihi, & ad sermonis puritatem, & ad excellentis doctrinæ puritatem, recon-

conditamque medullam dignoſcendam, & ad venuſtiores dicendi formas percipiendas, ac demum ad mirum in permovendis animis artificium patefaciendum opportuniores viſæ ſunt: quas, annuente Deo, cum primùm perfecero (nondum enim abſolvi) ad Te perferendas curabo; vel etiam ſi D. O. M. voluerit, perferam ego ipſe; dum (uti ſpero) haſce meas litteras exporrecto (quod ajunt) fronte excipere, meumque laborem [qualiſcumque is ſit futurus] benigne excipere non recuſaveris. Quod ut mihi aliquando innoteſcat [quod incredibilis tuæ bonitatis, ac comitatis fuerit] etiam atque etiam humillime Te rogo. Vale, meque Tibi addictiſſimum, tuarumque maximarum virtutum præconem in perpetuum futurum eſſe ex corde polliceor.

Venetiis Idibus Decembris 1670.

E P I S T O L A L.

Eminentiſſime Princeps.

Pariſiis Gilbertus Epiſcopus 1670.

OBſtupui cum Reverendiſs. Pater Anſelmus ad me ſuis litteris retulit ita meis rebus faviſſe Emin. Veſtram, ut vix alteri majora debeam. Quî enim tam propenſus, tam beneficus Emin. Veſtræ animus mihi conciliatus eſt? Cum præſertim toto penè vitæ meæ decurſu in Pireneis montibus obſcurus Epiſcopus, & tanto Viro tanto Principi ignotus delituerim. Totum virtuti, totum munificentiæ Veſtræ acceptum refero, Cardinalis Eminentiſs., & eo me ma-

gis Emin. Vestræ devinctum esse intelligo quo minus devinciri merueram. Noveram equidem quanti æstimanda esset tua benevolentia, quam literati omnes, cordatique Viri, quibus jamdudum præluxisti, ultro semper ambierunt. Noveram experientia domestica, quantum esset urbanitatis & bonitatis in Eminentia Vestra, cui meus ex sorore nepos Abbas de Drubec plurimum se debere passim gloriabatur; & hoc ipsi, alioquin mihi charissimo, invidebam. Non vota, sed spem meam humanitate tua antevertis in quibus gratiarum actionibus prosequar? Spondeo, & voveo mihi gratum, memoremque animum nunquam defuturum. Opto Eminentiæ Vestræ diutissimos ac felicissimos annos.

Parisiis 12. Decembris 1670.

Addictiss. atque obsequentiss.
Gilbertus Episcopus Convenarum ad Tornacensem Eccl.nominatus.

EPISTOLA LI.

Eminentissime Ecclesiæ Princeps.

Insulis Gilbertus Episcopus Tornacensis 1674.

SI in privatis olim rebus & negotiis meis gratiam Vestram expertus sum, multo magis sanè confido me jam in rebus Ecclesiæ ad Eminentiam Vestram posse confugere; nec mihi dubitandum esse existimo, quin pergratum faciam Emin. Vestræ, cujus zelus eximius, summa animi fortitudo, singularis pietas afflictam ubique solantur Ecclesiam. Nuper oblatus est mi-

mihi libellus Coloniæ editus, cujus titulus est -- *Monita salutaria B. V. Mariæ ad Cultores suos Indiscretos* -- qui brevi quidem & presso, sed satis fervido stylo inanes anilesque devoriunculas, quibus sanè hisce maximè in regionibus debilitatur ac pene evanescit Religio, infectatur. Vir honestissimus qui pietate singulari & scientia non mediocri pollet, illum in Gallicam linguam transtulit, & a me Gallice latineque simul typis mandandi facultatem petiit. Libellum legi, cumque nihil in eo deprehendissem, quod non esse planè Catholicum, aptumque ad ora Hæreticorum nostrorum obstruenda, qui continuis convitiis calumniisque impetunt Ecclesiam quasi superstitionibus pollutam & contaminatam, facile permisi ut publici juris fieret. Ad hoc vires addiderunt, & Serenissimi Coloniensis Archiepiscopi in libelli Authorem benevolentia, & Illustriss. Reverendissimique Myziensis Episcopi ejus Suffraganei approbatio; sed & consilia eorum omnium qui solidam præ se pietatem ferunt, & qui præsertim apud Batavos degunt, ac continuò pugnant contra Hæreticos. Verum statim atque editus est liber, in eum insurrexerunt non dicam qui *pietatem faciunt quæstum*, sed certè qui externis hisce rebus maxime adhærent & tenentur; quasi omnes Confraternitates, omnia sodalitia, omnia externa pietatis & devotionis signa & officia ab Ecclesia amandare cogitarem. Ut autem animorum æstus, quos vehementissimis declamationibus commoverant, compescerem, Pastoralem Epistolam ad Fideles hujus Diœcesis scripsi, qua, quid secundum pietatis christianæ regulas super iis rebus quemque sentire oporteat, edocui. Nec sine felici exitu. Sedavi concitatos motus, &, ut spero, concitandos præverti. Hanc porrò pastoralem Epistolam mitto ad Emin. Vestram, quam enixe precor, ut, si fortè Romæ turbas etiam super

ea re excitarint libelli hostes infensissimi, ea, qua præstat Emin. Vestræ pietas & scientia eruditioque singularis, authoritate comprimantur. Rogo præterea Emin. Vestram, & supplex peto, ut velit Sanctissimo Patri significare me Suæ Sanctitati, Apostolicæque Sedi summa observantia esse & semper fore devotissimum. Cæterum ut Emin. Vestram summa veneratione prosequor, sic spero eam me sua semper benevolentia dignaturam, cui pro tanto beneficio gratias habebo immortales.

Insulis die 17. Julii 1674.

Eminentifs. Ecclesiæ Princeps

Eminentiæ Vestræ
Addictifs. observantifs. ac devotifsimus
Gilbertus Episcopus Tornacensis.

E P I S T O L A LII.

Eminentifs., & Reverendifs. Pater & Domine Colendifs.

Pisis F. Michael Angelus
Canzanus 1670.

PEr obitum Emi Centini Minoris Conventualis, & postmodum Emi Maculani Dominicani cecidit corona Capitis Fratrum, nec est qui possit dicere: *Propter Fratres meos & Proximos meos loquebar pacem.* Sed mellitissima Vestra Dominatio melliflui Bernardi Proles inclyta, & Eugenio III. successura in tempore suo, nostram gloriam centuplicato fœnore, meritis potioribus reparavit. Unde semel & iterum ego licet abortivus ausus sum ad Patrem, ex

quo

quo citius omnis Paternitas in Cœlo, & in Terra nominabitur, & modo etiam tertio, cogor & audeo repedare; licet enim ego perdiderim quod erat Filii, Emin. Dominatio, quod Patris eſt non amiſit. Incidi ego in latrones, deſcendens a Jeruſalem, licet non remanſurus in Jericho, qui etiam expoliaverunt me, & plagis impoſitis abjerunt ſemivivo relicto, auferentès Pallium meum, vel potius nudum expoliando veſtibus, & eum, qui per annos circiter quadraginta laboraverat in verbo & Doctrina, in Pulpitis & Cathedris honoratis & ſublimioribus coram Prælatis, & Cardinalibus potioribus, qualis fuit Senior a Balneo Reatenſis, Epiſcopus Reatæ, Spinulæ, Mazzariæ, & Panhormi Doria cum 4. Inquiſitoribus, ex quibus Torreſiglia fuit poſtmodum Archiepiſcopus Montis Regalis, tranſmitti typis mandavit Codices ſuos, & alii pariter fuerunt oculati (nullo per tot annos clamore, vel querela conſurgente adverſus Puerum Sanctitatis Veſtræ) in Oppidulo proveni ſuper Aquipendia, ab iniquis fui latronibus ad Senenſem Inquiſitorem deportatus, non zelo ſed cacozelo & zelotypia, quia miſſus ego illuc Guardianus invitus ad operiendum ſcandalum ſequutum ob Præceſſorem a Procis inventum cum amaſia, qui ſe præcipitem dedit a Mœniis Oppiduli illius, contraria contrariis curaturus, cœpi multiplicare ſermones & hoſtias in Eccleſia cum laude omnium Bonorum; & ipſi hoſtes triumphaverunt dum ego renuntians Gubernio, & defenſionibus, velut mortuus Defenſionibus renuntians in anno 1666. ſubſcripſi injuſtiſſimæ privationi Officii concionandi, quod per tot annos illibatus exercui.

Tres Propoſitiones potius male intellectas juxta illud: omne quod recipitur per modum recipientis recipitur; quam male ſonantes contra me detulerunt quæ patent in Proceſſu; nec ego hæreticus nec igna-

rus

rus unquam fui, & omnia passus sum, & modo defuncti sunt qui quærebant animam Pueri. Et quod caput est citati in confractione ut Senas venirent, quo me vocaverunt, & Roma abeuntes, inauditum & indefensum condemnarunt.

Eminentiæ Vestræ Dominatio, quæ ab humero & sursum eminet super omnes Patres, nedum super omnes Filios Israël, eripiat pauperem & egenum de manu Prædonum iniquorum exurgens in gladio & hasta & virtute quam accepit a Domino, & in Romanæ Clementiæ Regno, quippe injunctas minuit Romana Clementina pœnas, liberet puerum suum, & reddat eum Ecclesiæ, ut fructus dignos afferat. Vox sanguinis Fratris vestri Abel clamat ad vos de terra. Unde consurgens Eminentissima Dominatio, Domino clamante; veni de Libano, veni: coronaberis de capite Aman, de vertice Sanir & Hermon, de Montibus Pardorum, & de Cubilibus Leonum; dum Libanus candidatio dicitur, & Eminentiis. Dominatio dealbata fulget ac micat candidior; ut non dicam amplius: quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, nempe Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri; in qua, cum Joanne, video Spiritum Paraclitum in Columbæ specie, unde Vestram Emin. pronus adoro Ego &c.

Michael Angelus Canzanus Min. Convent. Sancti Francisci Pisarum

1670. die 30. Decemb. Pisis &c.

EPI-

EPISTOLA LIII.

Illuſtriſs. Dom. Cardinalis Eminentiſs.

LIceat exiguitati meæ adire Eminentiſſimam Celſitudinem non in ſublimitate ſermonis, ſed in ſimplicitate & jucunda animi demiſſione pro felici Veſtra exaltatione ſummo totius orbis gaudio, & inenarrabili bonorum omnium exultatione ad ſupremum Cardinalatus faſtigium. Non infimam certe in tam communi lætitia partem mihi vendico, cum Sanctiſſimi Parentis Bernardi Claravallenſis ſucceſſor exiſtam, qui Veſtram Eminentiam ſuis erudivit doctrinis & edocuit magiſteriis: unde ſi quid apud benigniſſimum Dominum mea quantacunque valet præſtolatio, ad Illuſtriſs. Emin. Veſtræ pedes provolutus ſupplex accedens ipſam Claramvallem & totum Ciſtercienſem Ordinem pio mentis affectu commendo, & quem clientem aſpicit ſuo non dedignetur favere patrocinio. Sed & hoc a ſumma bonitate veſtra ſperamus univerſi qui preces ad ſupremum & præpotentem Deum continuas toto animi noſtri zelo pro Eminent. celſitudinis Veſtræ ſoſpitate & felici conatuum veſtrorum eventu ad præfati S. Bernardi conditoria inceſſanter fundimus, ſingulariter autem ego qui totis viſceribus & qua par eſt ſubjectione ſum Emin. Domine Cardinalis ampliſſime

Illuſtriſs. Emin. Veſtræ

Ex Veſtra Claravalle 8. Junii 1670.

Humiliſs. addictiſs. atque obed. famulus
Petrus Abbas Claravallis.

EPI-

EPISTOLA LIV.

Eminentissime Domine.

Amstelodami
Daniel Papebrochius 1671.

LUctuosissimum Blavianæ Typographiæ incendium intellexit Eminentia Tua ex literis Reverendiss. Vicarii, aut D. Andreæ Frisii: simul etiam ipsam sic cecidisse, ut spem habeat resurgendi; Interim vetus typographia denuo instruetur, novis typis, chartaque, & reliqua suppellectile typographica: quam cito apparatus hic sit absolvendus, non ausim perscribere, Blavianam in me ipso expertus lentitudinem: quæ ne major sit, accisis hac jactura nervis, vehementer metuo. Ut autem intra paucos menses res eo adducatur ut tria vel quatuor praela moveri possint, atque ita liber Eminentiæ Tuæ hac æstate absolvatur, cujus correctioni ultimæ [siquidem hic adsim] libenter admovebo manum : an ego quoque prudenter sperabo parem nostro operi, cui soli tria præla essent impendenda, felicitatem? Nimium hoc videtur. Quare licet D. Blaev plus promittat quam ausim sperare, & suam hanc fortunam generosissimè ferat; circumspicio quomodo inveniam alibi typographum alium, qui velit ac possit certo absolvere intra annum aut sesquiannum. Sive autem hic apud Dominum Blaev, sive alibi apud alium resumatur impressio Aprilis, opus erit novo pecuniario subsidio ad comparandam chartam necessariam: quam enim Domino Blaev ante incendium numeravi, ea, licet non existimem amissam (jactat enim se D. Blaev quod nemo creditorum suorum quidquam sit amissurus: & multæ sunt causæ

quæ

quæ ſperare jubeant ita futurum) ea, inquam, in promptu non eſt ad praeſentes uſus: inhumanus autem ſim, ſi velim eſſe importunus exactor; imo æquum videtur ut in ſolutionem iſtius debiti, non cogam bonum Virum ad faciendas novas expenſas, ſed contentus ſim libris, quos habet impreſſos, iiſque paulatim divendendis coner jacturam reſtaurare. Interim, ut dixi, neceſſaria eſt parata pecunia ad reſumendam impreſſionem Aprilis, ideoque in hoc rerum ſtatu, cum a liberalitate privatorum amicorum jam exhauſta, non poſſum ſperare ſubſidium, recurrere ſuppliciter ad Apoſtolicam Sedem præſumpſi, ſcripto libello, quem hiſce incluſum mitto Eminentiæ Tuæ, confidens, quod pro ſingulari erga Acta Sanctorum affectu, non gravate illum Emin. Tua traditura ſit Suæ Sanctitati, & pro ea qua merito valet auctoritate & gratia, certo impetratura ſit quod petitur. Nemo certe melius informare poſſet Sanctitatem ſuam, docereque, quam digne & utiliter impendenda liberalitas ejus ſit. A tribus Pontificibus, quibus præcedenres tres menſes fuerunt dedicati, nec unus quidem Teruncius ad nos venit: ſed neque voluimus poſtulare, quamdiu abfuit extrema neceſſitas. Et tamen fiebant a nobis expenſæ non leves in exemplaribus, quæ Romam oportuit mittere, & quidem pro dignitate tantorum Patronorum pretioſius compacta. Quid quod nec Alexander VII. (qui nos Romam invitarat, videbatque totis novis menſibus, quibus iſtic fuimus, ac multis etiam poſt diſceſſum annis, magnos ſumptus facere in deſcriptione Vaticanorum, aliorumque Codicum Mſs.) auxilium tulerit, tam longis itineribus, tam diuturnæ deſcriptioni ſperatum. Scilicet nocuit nobis verecundia noſtra, qua nihil auſi fuimus petere: Sed hoc nunc demum facere compellimur, & patrocinante Eminentia Tua ſperamus non fruſtra id facturos.

ros. Interim post feliciter decursam Quadragesimam, multaque ex Ordine felicissima Paschata, lætissimum tandem cum Deo & Sanctis Alleluja in Cœlis apprecor Emin. Tuæ, ejusque Sacram Purpuram reverenter deosculor. Amstelodami 1. Martii 1671., unde intra paucas hebdomadas revertor Antuerpiam, ibi expectaturus responsum Emin. Tuæ. & supplicationis adjunctæ successum.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus cliens
Daniel Papebrochius S. J.

EPISTOLA LV.

Eminentiss. ac Reverendiss. D. Patrone Colendiss.

Lutetiæ Parisior.
Robertus Quatremarius 1671.

QUas ad Eminentiam Vestram scribere antehac præsumpsi literas, etsi ad ipsam utrum feliciter delatæ fuerint nec ne, ignorem; quod tamen erga negotium pro quo scriptæ sunt, optimè affecta sit, ignorare nec possum nec debeo. Agitur enim Ecclesiæ S. Germani Paris. causa, quæ per se quidem considerata singularis videri potest; sed tamen sic Sedis Apostolicæ discrimini est implexa, quasi, juxta Prophetam sit rota in medio rotæ, sic inquam, ut illa perire non possit sine hujus gravissima injuria.

Archiepiscopus Parisiensis intruserat sese in dictæ Ecclesiæ Territorium (quod sicut & ipsamet, ad jus & proprietatem Romanæ pertinet) sine titulo quidem, quia prætensum, quem ille jactabat, contra-

ctum,

ctum, demonstravi abunde nullum, sed non sine grandi scandalo de contempta Sede Apostolica, de conculcato jure divino ac humano, & de pereuntibus sub tali incubatore animabus. Adversus contractum & intrusionem obstiti ego palam, quod ob intrusi & asseclarum ejus potentiam, ausus est præter me nemo: Ego autem ausus sum, quia cum non leve Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ mea est ac omnium vere viventium mater, animadvertens impendere periculum, quod in totum universalis Ecclesiæ corpus sine dubio redundaret, dulce & decorum reputavi pro hac fidelium universorum Patria quemlibet subire laborem, & sive exilium, sive mortem, sive quamvis aliam perpeti acerbitatem. Expertus autem planè ego sum, quod Propheta prædixerat: Numquid potest oblivisci mater infantis sui, ut non misereatur Filio uteri sui? Exulantem quippe me consolari dignatus clementissimis literis Emin. D. Cardinalis Patronus, & Suæ Sanctitatis auctoritate revocari fecit, quod quidem beneficium Illustrifs. D. Nuntii Apostolici fidelissima opera & studiis mihi semper, dum vivam, cum honore memorandis, sum consecutus. Triduum ab meo reditu vix effluxerat, & ecce intrusus rapitur ad Tribunal Christi. Quale inde judicium acceperit, non est nostrum definire, sed expavescere. Certum est enim, quod alienum territorium per vim & injuriam abstulerat; & certum nihilominus, quod ablatum ante mortem, etiam solicitante Illustrissimo Nuncio Apostolico, non restituit. Dixit mihi quidam, qui animam agenti affuerat, ipsum in tali articulo positum agnovisse reatum suum, veniam insuper a Deo postulasse, de restituendo nihil nec mandasse nec significasse; Unde nec ad illius saltem poenitentiam, qui male acceptos triginta argenteos retulit, convincitur accessisse. Ego interim perpendens

occurrendum esse, ne coeptam iniquitatem prorogare velit successor, oppositionem die mensis & anni 2. coram Illustrissimo Nuncio Apostolico feci, ne dicto successori, qui necdum a Rege Christianissimo fuerat nominatus, Provisiones ad Ecclesiam Paris. in Romana Curia expediantur, antequam dicti Territorii nostri restitutio fuerit opere completa. Et eandem oppositionem, quam Illustriss. Nuncius Apostolicus Romam misit, coram Eminentia etiam Vestra, omni quo possum, meliori modo innovo, ac pro inviolabili Sedis Apostolicæ jure atque authoritate humillime obtestor, ut ubicumque necesse fuerit admitti faciatis. Sed ecce timor & tremor venerunt super me, quia mihi a quibusdam renunciatum est, suspicionem esse quod dictæ provisiones sine ulla contradictione, atque adeo sine ulla exceptione expedientur, quales postularit Rex, & quamprimum postulaverit, cum ob ejus potentiam, tùm ob Illustrissimi Nominati gratiam, & quod dicti Contractus prætensi approbatio a Sede Apostolica huc usque negata sit, non tam causæ studio ac jure, quam personæ Archiepiscopi intrusi odio: Unde periculum imminet, ut quod Deus avertat, meæ hujus oppositionis ratio habeatur nulla. Propterea ego quamvis omnium hominum novissimus, quamvis etiam contemptibilis vermiculus & non homo, zelum tamen habens pro Ecclesia Sancta Dei justum & sanctum, flecto genua mea ad Suam Sanctitatem ad Emin. Vestram & ad Universum Sacrum Apostolicum Collegium, obsecrans per misericordiam Domini nostri Jesu Christi, & per Charitatem Sancti Spiritus, per denique B. Petri Cathedram omnibus Christianis venerandam necessario, & singulari fide ad Sanguinem propugnandam, ut non habeat hic locum illud gementis Prophetæ lamentum: Princeps postulat, & Judex est in reddendo. Regia quidem majestas

ſtas audiri digna eſt & exaudiri pro ſua reverentia; ſed ſi iniqua poſtulat, ſi per preces vim ſacris Canonibus infert, ſi Eccleſias particulares, ſi Sedem Apoſtolicam ſuis ſpoliandas juribus contendit, numquid audienda, immo nunquid putanda eſt poſtulare? De imperiali quidem faſtu, de Aulæ ſtrepitu procelloſo, de adulantium inſidioſa fallacia obrepit nonnunquam & ſæpe Regibus, ut ad ea prorumpant, quæ ſacris legibus, quæ juri ac juſtitiæ adverſari non advertunt; ſed nunquid ſtatim a Sanctis & Deum timentibus Sacerdotibus tali regiæ voluntati ſubſcribitur? Ozias offerendum per ſe incenſum præſumit, obſiſtunt Miniſtri Domini; Valentinianus, & Arcadius templorum diſtributionem arrogant ſibi; illum prohibet Ambroſius, hunc Jo. Chryſoſtomus. Ecquid commemorem, quæ quantaque, & quàm feliciter geſſerint B. Petri Succeſſores ſanctiſſimi & conſtantiſſimi adverſus Orientis & Occidentis Principes inconceſſa laicæ poteſtati attentantes. Numquid verò Pontifices quo indulgentiores Principibus, eo vel Sedes eorum, vel ipſimet gratiores eiſdem ac honoratiores? Et ſane multa S. Mem. Clemens IX. Regi Chriſtianiſſimo, multa Aulæ Miniſtris, multa Parlamento Indulſit; ſed uſurpandum hic illud propheticum: Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti; nunquid glorificatus es? Immo verò deberi ſibi hæc arbitrantur non indulgeri; & gratias conceſſas, ex infirmitate concedentis non ex indulgentia reputant provenire: denique Conceſſiones Apoſtolicas ſic accipiunt, non quaſi ſitim extinguere debeant ſed inflammare; nec in prioribus figunt terminum cupiditatis, ſed ad ulteriores, ſed ad ampliores gradum conſtituunt, de gratiis agendis pro acceptis, quam de novis & majoribus petitionibus ingerendis minus ſoliciti; juxta ac olim prædixit Vates divinus: neſcientes ſaturitatem, & dicentes: ſicut

cut hodie, sic & cras erit & multo amplius. Nolite itaque arbitrari vel sperare, quod ubi petitioni regiæ seu quasi regiæ hac vice acquieveritis, statim propterea sitis requiem habituri, sed ad alia potius, atque alia permittenda, vel toleranda duram vobismetipsis impositur i necessitatem. Cæterum recordamini, quod Aquæ Jordanis non ante Arcæ fœderis Domini cesserunt, quàm Sacerdotes qui eam portabant, in ipsius fluminis undas pedes immiserint, & quod auxilium Domini non quibuslibet, sed constantibus promissum est, sicut legimus: Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. Liceat enim mihi indignissimo servulo Vestro per clementiam Vestram Eminentiss. ac Reverendiss. D. apud Vos non sine cordis dolore tam acerbo quam sincero deplorare, quod Curiæ Romanæ multa & fortasse nimia seu remissio seu conniventia quidlibet in sacris audendi hujus regni magistratibus fenestram aperuit: Ut vix alias verius conquestus sit Propheta, quam modo; locus ac tempus est ingemiscendo lamentandi: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: Ut Ethnicorum olim Principum in sacra impia, quam istorum in divina ministeria, fuerit religio longe major. Quid est enim de quo jam isti laici non arrogant sibi arbitrium? Quid magis ad Summum Pontificem attinet, quam de clavium potestate dijudicare, & eam quibus competit, addicere? At (ut omittam Agennensis Episcopi & Regularium quorundam controversiam non ita pridem Consilio Regio usurpatam) in negotio nostro Aulici judicium hujusmodi vindicant sibi, & ligandi atque solvendi potestatem in Territorio nostro Archiepiscopo Paris. etiam Sede Apostolica contradicente, in vim prætensi contractus, qui utique nullus est, volunt arrogari; cum tamen Aurelianus olim Imperator, quantumvis per Idololatriæ scelus rebus Christianis infensus,

ſus, agitatam hinc inde Catholicos inter & hæreticos de Antiochena Eccleſia diſceptationem, de qua ipſe conſulebatur, definire noluerit, ſed ad Romanum Epiſcopum remiſerit dirimendam. Jam vero perpendite & ex iſto nefario contractu quanta pernicies conſecutura ſit, niſi mature obicem poſueritis, niſi ejus condemnationem proclamaveritis, & cum Romæ tum in Gallia ratam haberi obtinueritis. Nam Epiſcopus Andegavenſis modernus Archiepiſcopi Pariſienſis demortui egregius imitator, Monachos S. Florentii veteris (Monaſterium eſt nullius Diœceſis, in Provinciali Romano ſplendidè adnotatum) infinitis vexationibus ad hoc tandem deſperationis ſuffragium compulit, ut cum illo tranſigere conſentiant, ſicut cum Pariſienſi Sangermanenſes tranſegerunt: jamque hoc ipſo tempore Prior aut alius ejuſdem loci Monachus apud Andegavum a diebus aliquot rei hujus cauſa degit; atque adeo miſſus eſt hinc ad illos ſceleſtus iſte Contractus ut ad ejus exemplar, etiam ſine prævio Sedis Apoſtolicæ beneplacito conſcribant tabulas. Qua de re jam ad Eminentiſs. Cardinalem Patronum ſcripſi, & rurſus ad Emin. Veſtram nunc ſcribo, quatenus dictis Monachis, ſeu & R. P. Superiori Generali noſtræ Congregationis mandare citius dignemini, ne in negotio pergant ultra, antequam Sua Sanctitas plenius informetur: conſultum quoque videtur fore, ſi de hoc ipſo Sua Sanctitas ad dictum Epiſcopum ſcriberet, ut ab hac perſecutione ſeſe contineret: Hæc eſt enim ſpecioſior, quam noſtri obtendere poſſint, excuſatio: Nullam ſibi, dum ab Epiſcopis impetuntur, ab Sede Apoſtolica ſuppetere protectionem. Porro ne longius excurrendo referam quid Epiſcopus Catalaunenſis in Monachos Dervenſes, quid in San-Valericianos Ambianenſis, quid alii in alios fecerint, non tam utique Monachorum odio quam Sedis Apo-

ſto-

ftolicæ, exemplum habemus recens ac illuftre omnium fimul Epifcoporum Galliæ in conventu nuper quinquennali, quam præfractè Conftitutionem S. Sanctitatis fuper eorum & Regularium negotio rejecerint. Et fide tamen indubia certum eft, Ecclefiam Catholicam fine pleniffima Sedis Apoftolicæ poteftate, & dependentia Epifcoporum ab ipfa, non poffe falvam confiftere; quod quidem tam funefto quam claro Orientales & Africanæ Ecclefiæ teftantur exemplo; quarum Epifcopi quia Ecclefiæ Romanæ authoritati fe fubducere, pariaque cum Romano facere præfumpferunt, in eam, quæ nunc cernitur ac deploratur, deturbatæ funt, calamitatem. Hanc autem in Privilegia Apoftolica ab noftratibus Epifcopis graffationem non de proficiendi zelo promanare conftat, cum plerique circa religionem & falutem animarum tam negligenter fe habeant, ut Epifcopus Andegavenfis Monafterium S. Nicolai ejufdem Urbis, quod & in Commendam poffidet, malit regulari obfervantia omnino deftitui, quam ad primævam difciplinam (quod facile poffet) reftaurare, de fubigendo interim fuæ jurifdictioni Monafterio S. Florentii, ut ante dixi, prave follicitus: Archiepifcopus autem Senonenfis, qui fe in fua Ecclefia Papam effe jactitat, multas deferat fuæ Dioecefis Parochias fine Paftoribus, fine Sacerdotibus, fine Sacrificio, adeo ut in Pafchate noviffimo Parochiani nec Poenitentiæ, nec facræ Communionis Sacramenta perceperint, fed nec Miffam audierint, uti ego ipfe apud Ferrarias nuper & didici & expavi, cum eorum audirem Confeffiones; & ipfe interim Archiepifcopus in Urbe regia vel alibi degens ducit in bonis dies fuos. Ad avertendum igitur impendens Ecclefiæ ex talibus periculum, ad fedandum bellum quod in Privilegia Apoftolica, & confequenter in Sedem Apoftolicam nimis in hoc regno efferve-

vescit & ad perficiendam quoque Territorii S. Germani restitutionem, necessaria maximè est a Sua Sanctitate apud Regem Christianissimum fortissima negotiatio, epistolis, monitionibus, instantiis iteratis pertractanda; necessarium Suæ Sanctitatis & totius Curiæ indeclinabile & invictum in repetendo propositum. Esset quoque Serenifs. Poloniæ Rex Abbas noster Commendatarius per amicos suos Emin. Cardinales nomine Suæ Sanctitatis admonendus & exhortandus ad Ecclesiæ sibi commendatæ atque adeò ad Sedis Apostolicæ jura regio animo sustinenda, uti ex Juramenti fide tenetur; tam enim facilis est animi ut Illustrissimo Archiepiscopo Rothom. ad Ecclesiam Paris. nominato, scripturum se Romam in gratiam ipsius promiserit; quod plane si fecerit, periculum est ne pro consensu contractui præstito habeatur. Quod ad meas res attinet, quamvis cæcitatis, pertinaciæ, ac rebellionis in Congregationis nostræ Superiores a quibusdam adversariis accusor, has tamen & alias molestias exilio ipso amariores pro totidem coronamentis accipiens, testor coram Deo, & Domino nostro Jesu Christo me nec præteritorum quoad hoc negotium poenitere, nec a coeptis velle absistere. Nempe cum sim de Monasterii gremio, jus habeo reclamandi, & ad hoc me invitant, compelluntque Canones Sacri, qui & spoliatos cum ante omnia restituendos jubeant, etsi & alii, & ipse Commendatarius nolint super hoc aperire os, ego tamen utpote Monasterii, & Sedis Apostolicæ genuinus filius, dictam restitutionem non desinam postulare. Unum interim in optatis habens, & quantum fas est obsecrare, ut cum oppositio mea novissima palam fiet, reperiri possim extra Dominium Regis Christianissimi; prævideo enim, &, si per Suæ Sanctitatis authoritatem, & vestram intercessionem liceat, præcavere cupio gravissimam tempestatem, pro hac

oppositione adversum me excitandam. Hoc Eminent. Vestræ quia misericordiæ Visceribus affluere novi, humili confidentia suggerere præsumo, si fortè verbum hac de re cum Emin. Cardinale Patrono facere dignabitur; rogans tamen ne Superiores mei resciant me de his omnibus ad Emin. Vestram scripsisse, propter bonum pacis, ne & hinc amplius ipsis exosus fiam. De cætero quod bonum est in oculis vestris facite, tantummodo pro tuendis Sedis Apostolicæ jur bus in hac decretoria occasione curam & constantiam vestram gloria & honore immortali coronandam ne omittatis. Ego vero id operam dabo, quantum donabit Deus, ut non sim illi ultra importunus; sed expectabo nomen Domini, qui post tempestatem, tranquillum facit, & humiles Spiritu salvaturum se promisit: quem Suæ Sanctitati, Eminentiæ Vestræ, ac toti sacratissimo Collegio propitium fore semper & affore sine intermissione orabo.

Lutetiæ Parisior. in Monasterio S. Germani 16. Januarii 1671.

Eminentiss., ac Rev. D. Patr. Colend.

Eminentiæ Vestræ

Humill. servus, devotiss. Orator
fideliss. Cliens
Robertus Quatermarius Congr. S. Mauri
Monachus Benedictinus.

EPI-

EPISTOLA LVI.

Eminentifs., & Rev. D.D. Patr. Colendifs.

DUm Liturgica Veftra elegantiffimo Blaevii Typos exercent, ipfeque, quo fuæ erga Eminentiam Veftram obfervantiæ faceret fatis, fumma inftaret diligentia, ut Operi, quod doctrinæ & eloquentiæ fplendoribus illuftriffimum æftimabat, nullum typographicæ artis decus deeffet, ex Hypocauftis progreditur flamma, quæ chartarum, librorumque incredibilem copiam inveniens, tantas acquirit vires, nullis ut potuerit aquis extingui, nulla induftria cohiberi: Vorat ergo ejus Atlantes, Urbium delineationes, globos, Tabulas, Typos, & Archetypos liquefacit, laminas, quibus totum Orbem infculpferat, confundit in maffas. Hac ftrage etiam liber Vefter, & quicquid illius fuis characteribus excuderat Blaevius, omnino interiit; adeo ut nec ipfi, nec mihi fuperfit facultas, quod animo deftinaveramus perficiendi; ideft fub aufpicio Nominis Veftri, quod etiam inimicis facrificii noftri gratum, ac venerabile, per ea loca liturgicarum rerum lucem diffundere, a quibus illarum fplendor dudum exulavit. Allaborabo, ut è Galliis eorum nobis copia miniftretur.

Lovanii prodiere quidam libelli, quos cum nonnullis aliis hic recenter editis prima opportunitate Veftræ Emin. mittam; illorum unus fub grato manuductionis ad Cælum nomine, Gratiæ Dei fefe probat ingratum.

Divina bonitas suæ Ecclesiæ Vestram Emin. diu servet incolumem: ita precor qui sum devotione maxima

Amstelodami die 4. Martii 1672.

Eminentiæ Vestræ

Humill. & obseq. ac d. famulus
Joannes Episcopus Castorien. Vic. Apost.

EPISTOLA LVII.

Pax Christi

Eminentissime Domine.

Antuerpiæ Franc. Dierix 1672.

SAcratarum manuum osculo prævio Suæ Emin. notum volui, me Breve Apostolicum pro Altari Privilegiato Confraternitati nostræ gratia Vestri indultum, benigne recepisse; pro quo ego, omnesque mei cum tota Confraternitate, quas possumus, gratias agimus. Sed ni timerem affectuosissimam Vestram benignitatem offendere, ejusque spiritualia ac dulcissima oria interturbare, eamdem enixè rogarem, quatenus nostræ Ecclesiæ ad Altare *S. Bernardi* olim pro Feria secunda & quarta privilegiatum, de simili Brevi de novo ad septennium providere dignaretur. Quindecim enim in nostra Congregatione Sacerdotes celebrantes sunt. Aliudque Breve expectarem pro *Indulgentiis plenariis* in nostra Ecclesia ratione *precum* 40. *horarum* semel in anno eligendarum & ab ordinario loci determinandarum. Vel tandem pro festivis diebus invicem

cem ſuccedentibus S. *Joachimi*, & S. Legiſlatoris noſtri *Benedicti*. Eminentiſſima ſua Gratia noſtram in rogando audaciam ac præſumptionem excuſare dignabitur, pro qua in precum ac ſacrificiorum noſtrorum ſuffragiis in æternum devinctus atque devictus manebimus, quod ſubſcribo.

Antuerpiæ 5. Februarii 1672.

Eminentiſſime Domine

Suæ Eminentiæ
Humill., ac obſequentiſs. cliens
Franciſcus Dierix Abbas S. Salvatoris Antuerpiæ.

EPISTOLA LVIII.

Eminentiſſime Domine.

Antuerpiæ Franciſc. Dierix
15. *Aprilis* 1672.

SAcratarum manuum oſculo prævio Eminentiæ Veſtræ notum volui, me gratiſſimas Veſtras die 26. Menſis elapſi una cum Brevi Apoſtolico opportune recepiſſe. Pro quibus indulgentiis duarum dierum ſubſequentium Reverendiſs. D. Epiſcopus noſter (antequam placitum publicationis apponat) vult ut eligam & determinem duos dies præciſe in anno ſemel, utque ſingulis annis illis præciſe diebus dictæ Indulgentiæ publicentur; ſed quandoquidem Breve Apoſtolicum me minime ad illum reſtringat, nobiſque liberum relinquat ſemel in anno eas preces 40. horarum inſtituendi, neſcio quid D. Epiſcopum moveat nos

nos ad dictam determinationem restringendi; Commodius enim nobis foret, magisque liberum dies binos subsequentes quotannis eligere pro ratione temporis aut festorum occurrentium, quam ad certos dies præcise esse restrictos. Itaque vestra fretus benignitate, ab Eminentiss. Vestra gratia & auctoritate imploro auxilium & consilium, quid in casu agendum sit. Si aliud remedium non subsit, manus dabo, & binos dies semel in anno eligam, ut a Domino Episcopo placitum publicationis obtineam. Interim post infinitas gratiarum actiones libenter subscribor

Antuerpiæ 15. Aprilis 1672.

Eminentissime Domine

Exoptarem pro aliquo meorum Religiosorum dispensationem pro XIII. mensibus deficientibus ad ætatem, ut Sacerdotium posset suscipere, sed eam curam demandavi P. Alberto, ne Suæ Eminentiæ, suæque benevolentiæ importunus sim; meas ei rationes suggessi, merita, & nomen.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus cliens
Francisc. Dierix, Abbas S. Salvatoris.

EPI-

EPISTOLA LIX.

Pax Christi

Eminentissime Domine.

Antuerpiæ Franciscus Dierix
22. Julii 1672.

CUm Sacratarum manuum osculo: gratissimas suæ Eminentiæ die secunda hujus recepi. Inclusas amplissimo D. Abbati Camberonensi ocyus misi, indubie ad manus venturas. Mysticarum Institutionum librum jam a medio anno pro certo misi, nesciens quo fato vel infortunio, vel in via hæreat, vel in mari raptum suspicari velim; tamen dum alterutrum nescivero, alium ejus loco Suæ Eminentiæ mittere satagam. Vix credibile est, quomodo Deus faveat zelo & armis Regis Christianissimi. Vicit enim modo ab Hollandis pertinacissimis Hæreticis tempore duorum mensium ultra triginta Civitates, in quas ad minus quindecim munitissimæ sunt, quarum vel minima ad tres menses obsidionem sustinere deberet. Antiquissima Archiepiscopalis Ultrajectensis Ecclesia per Eminentiss. D. Cardinalem de Bullion modo reconciliata est, in qua in dies Divina celebrantur. Sed unicum me meosque angit; scilicet quod novem Prioratus Ordinis nostri in Partibus Hollandicis Monasterio nostro titulo oneroso ex prævio contractu incorporati atque uniti, nec dum nobis reddantur. Fateor tenuorum modiorum sunt, sed qui sponsam Ecclesiam diligit, non tam monilia, quam Sponsam ipsam appetit. Tres ex iis Prioratibus modo sunt sub Potestate Regis Christianissimi, quos reclamavi, & necdum obtinui. Si per singularem Suæ Eminentiæ benignitatem unicam

Com-

Commendatitiam ad Eminentissimum Dominum Cardinalem de Bullion, tum ad Reverendissimum Dominum Joannem Neerkesselium per unitas Provincias Vicarium Apostolicum habere valeam, contra spem in spem credam. Licet enim Dominus Neerkesselius osor Religiosorum nominetur, plurimum tamen dignissimæ Vestræ Personæ, ejusque in eum meritis defert. Quod si obtinere non valeam; PP. Societatis, aliique Ordines fundationibus nostris & Benedictinorum inhiant. Quod si fiat, tum sacer Ordo noster (qui si ullibi, saltem in Belgio viget) & nostrum Monasterium speciali suo jure fraudabitur. Itaque per P. Albertum pientissimis vestris oculis binas copias authenticas subjicio, unam ex parte Sedis Apostolicæ, aliam ex parte Ordinis referens contractum ejusque executionem cum ratificatione ex parte Ordinis nostri in nostrum favorem datam. Hactenus de levioribus, jam de re gravi scribo. Si aliquid consilii vel auxilii in casu tam evidenti & necessario Sua Eminentia præstare valeat, sive per commendatitias speciales ad Ministros Regis Christianissimi, seu per novam Confirmationem Apostolicam super litteras P. Generalis nostri D. Nicolai Boucherat anno 1612. dati, me, meumque Monasterium, omnesque Posteros sibi in æternum devinciet, & manebo

Antuerpiæ 22. Julii 1672.

Eminentissime Domine

Eminentiæ Vestræ

Humillimus servus
Francisc. Dierix Abbas S. Salvatoris.

EPI-

EPISTOLA LX.

Eminentissime Domine.

Antuerpiæ Franciscus Dierix
9. Septemb. 1672.

OSculo manuum prævio, fateor cum magno cordis desiderio ad Vestras anhelasse, quæ modo gratissimæ advenerint. Miror tamen quod Sua Eminentia inconsultum æstimet exnunc fieri instantias pro recuperatione Monasteriorum nostri Ordinis, cum omnes fere Mendicantium Ordines instent opportunè importune & nil magis satagant, quam capere actualem possessionem suarum Ecclesiarum &c., imò ex certa scientia procedens affirmo in Civitate Ultrajectensi, aliisque, aliorum Ordinum Religiosos, jam a mensibus in suo habitu processisse. Ex quo timendum sanè est periculum in mora, & ne alieni rapaces, Monasteriis Ordinis eorumque bonis inhient. Quibus consideratis, noster per Belgium Vicarius ac Commissarius generalis, Vir de Ordine nostro summè meritus, tamen provectæ ætatis, determinavit nostram personam, ut facerem instantias ad Ordinis nostri Monasteria eidem vindicanda. Nec aliqua inter Christianissimum Regem, & Status Hollandiæ Confœderationis apparentia est, cum Hollandia cum unitis Provinciis sit stratagematibus plena, ubi tumultuosa plebs & leges & pœnas ponit, quas & exequitur in Patriæ suæ Patres & Propugnatores. Attamen ne Sua Eminentia periculum in mora minus æstimet, mitto his inclusam commissionem nostram a Reverendiss. Vicario Belgii nobis intimè demandatam; si vero Monasteria in paratis nobis minime reddantur, saltem præ-

tentiones nostræ tum Regi ejusque Commissariis innotescent, ad amovendum periculum, ne saltem aliis extra ordinem tradantur. Sua Eminentia rem præstiterit pro Beneficio Ordinis nostri salutarem, & a Congregatione Belgica nunquam oblivioni tradendam, si sua (qua pollet authoritate) nostram Commissionem suffulciat, & suis commendatitiis ad me destinandis, tum ad Eminentiss. Dominum Cardinalem de Bullion, tum ad Vicarium Apostolicum per unitas Belgii Provincias, eidem negotio successum tribuat; imò (ni importunus sim) ad alios, per quos Sua Eminentia novit idem Sanctum opus promovendum.

Antuerpiæ 9. Septembris 1672.

Eminentissimæ Dominationis Vestræ

Monasteria ad quæ huc usque prætentio & Comissio extenditur, sub Rege Christianissimo sunt tria. Primum Prioratus dictus -- *Mons Dominæ nostræ in Tsolesteyn*, immediata Mater nostri Monasterii. Secundum Monasterium *Monialium S. Servatii* in Civitate Ultrajectensi: & tertium Monasterium *B. Mariæ ten Daele* extra muros, sub Commissione nostra.

Humill. Cliens
Franciscus Dierix Abbas S. Salvatoris.

EPI-

EPISTOLA LXI.

Eminentissime Cardinalis.

Parisiis Jo. Voisin
17. Junii 1672.

FEcit liberalitas Vestra, ut trasmissis ad me illustribus Missæ Gallicanæ monumentis, nihil mihi amplius deesset ad complementum operis mei de perpetuitate Missæ, præter hoc unum, quod ab Eminentia Vestra adhuc audeo sperare; nempe ordinem Missæ, & Missam integram S. diei Paschæ cum Orationibus, Præfatione, & Canone integro, atque Benedictione Paschali, ex antiquissimo illo Ordine Romano, quem Eminentia Vestra laudat in suo eximio de rebus liturgicis volumine lib. 2. cap. 5. quemque Gelasianum esse suspicatur, aut ex Gregoriano, & Gelasiano mixtum. Patere itaque obsecro, Eminentissime Cardinalis, ut per singularem benignitatem Vestram liceat mihi describendum curare ex illo antiquissimo Ordine Romano, Ordinem Missæ, & præterea integram Missam S. Diei Paschæ cum Præfatione, & Canone integro, & cum Orationibus. Sic isto adjutus subsidio, cum Sidonio Apollinari dicam: Jam famæ pelagus sidere curro tuo.

Parisiis 17. die Junii 1672.

Eminentiæ Vestræ

Obsequentiss, & addictiss.
Jo. Voisin.

EPISTOLA LXII.

Eminentiſſime Cardinalis.

Antonius Abbas Camberon
1672.

HUmaniſſimæ tuæ, quas ad meas dare dignatus es, rubore me ſuffuderunt poſt ſtuporem. In cauſa grande illud diſcrimen: quod talis tantuſque cum ſis, tantillum nihilominus litterarium munuſculum meum averſatus non ſis. Quid? quod gratum eſſe Tibi, elegantiſſima Epiſtola ſimul & urbaniſſima teſtatus es? Sat conjiciebam ad Maximi Theologi fores non hæſurum Theologorum Principem: nec ingratum fore Bernardum Samuelem tanto Bernardino. En habes. Admitte quæſo eo vultu quo in eum animo fuiſti tot annis. Ut adveniret gratior, duos junxi comites, quorum altero nullus Judicum integrior: major altero ac ſanctior, nullus Regum. Iis noſtrum comparavi, quia delectat comparatio: facitque ut comparatorum dotes emineant magis, ſive virtutes, quæ in Sanctiſſimo Patre Bernardo, eximiæ. Et ego a quinquaginta & tribus annis egi ſub ejus ſignis: Sed vecors, ſub religioſiſſimæ vitæ Præceptore diſcipulus. Tu quam alius! Et quia noviſſimus placuerat locus, audiviſti: Amice aſcende ſuperius. Quidni in vaſta Eccleſiæ Æde, in qua Dei menſa, inter primos ſedeas, qui Miſſam ſic commendaſti, ut etiam Heterodoxis moveris ſalivam, & excitaveris orexim? Profecto ſtomachus æger valde ſit, qui ad hanc nauſeat dapem, aut vomitarit: Roma liturgica mittere, grave haud dubium fuiſſet: Pariſiis accepi, uti Colonia Aſceticum tuum. Grates

pro

pro Benevolentia ago. Utiles o lucubrationes tuas, & felici sidere natas! Quibus non prosunt? Vivis, & vita functis. Prosit & plurimum quidem, si apud nos stet. Altare, uti vocant, Privilegiatum. Viginti sex sumus hic Sacerdotes; & caremus tamen tanto bono, amici hactenus Romæ & Procuratoris defectu. Quis novit utrum idcirco ad Regnum veneris ut in tali tempore paraveris? aiebat ille. Eo Privilegio Altare honorari posset Divæ Virginis Camberonensis, cujus tragica Historia cuditur Parisiis: quod quidem Privilegium pro ea qua polles apud Pontificem Opt. Max. auctoritate si perpetuum impetres, beasti

Camberonæ 5. Kal. Apr. 1672.

Humill. tuum ac devotiss. famulum
F. Antonium Abbatem Camberon.

EPISTOLA LXIII.

Eminentissime Cardinalis.

Parisiis Petrus Floriot
1672.

IGnoscat quæso Eminentia Vestra, si licet ignotus illi offeram librum, cui titulus est - *Moralis Christiana*. Hujus sane meæ libertatis auctores habeo Dominum Antonium Arnaldum Doctorem Sorbonicum, & Domnum Lucam d'Achery Benedictinum, Viros illos singularis doctrinæ & pietatis fama adeò illustres, omnibusque notos, quorum amicitia & fere quotidiana conversatione atque familiaritate a viginti quinque annis & amplius fruor & gaudeo: horum, inquam;

quam, tantorum virorum testimonio de summa, qua omnes divinarum litterarum cœlestisque doctrinæ studiosos humanitate atque benevolentia complectitur, persuasus, confidenter Eminentiam Vestram convenio, qua tamen humilitate possum ac debeo ad pedes ejus provolutus; illique ethicam istam Christianam offerre non erubesco. Quod opus an mihi asserere, meumque appellare ausim fere nescio, tenuis ingenii, modicæque doctrinæ, incapacitatisque meæ omnino mihi conscius. Sed Eminentissime Cardinalis, Deum Opt. Maximum, verum hujus operis auctorem agnoscas velim, qui arcana sua providentia me tantillo, tamque fragili instrumento usus fuerit ad illud paulatim componendum atque formandum per varias quas animo meo indidit cogitationes, dum per plurimos annos sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum legendis libris detinebar. Quicquid illud sit, Cardinalis Eminentissime, persuasum mihi est non posse me depositum hoc qualecumque quod mihi a Domino concreditum est, cuiquam tutius confidere, quam Eminentiss. sapientissimoque Cardinali, de Ecclesia adeo optime merito, ut qui eam tot eximiis, & tam varia eruditione plenis operibus ditaverit, *De rebus Liturgicis*, *de divina Psalmodia*, *de Sacrificio Missæ*, aliisque quamplurimis, quorum lectione non solum eruditi omnes delectantur, sed omnes pene fideles pietatis spiritum hauriunt, inter quos & me non mediocrem fructum excerpsisse profiteor. In cujus rei fidem, Eminentiam Vestram rogo, Cardinalis Eminentissime, ut hoc quantulumcumqne munus, tamquam gratitudinis meæ tesseram, ac Symbolum accipiat de hujus manu adolescentis, Nepotis mei, qui bono ingenio præditus, cum in studiis humanioribus satis profecerit, linguam latinam non minus quam Gallicam probè calleat, & scribendi peritia-

va-

valeat & facilitate, poteſt apud quemcumque, Eccleſiæ vel ſæculi principem, ſcribæ munus implere, vel in alio quocumque officio inſervire. Huic ergo, ut ſpero, ſuccurret Charitas Veſtra, manumque præſtabit, ne deficientis victus neceſſarii prætextu improborum Societati ſeſe immiſceat, a quibus ejus mores corrumpi poſſent: non quod pecuniam illi dari cupiam, quod ne faciat, Eminentiam Veſtram rogo; ſed ut alicubi habitaculum ei procuret, ubi vel gratis victum habere, vel labore ſuo acquirere poſſit. De cætero, Cardinalis Eminentiſſime, Deus optimus Maximus Eminentiam Veſtram in multos annos pro bono Eccleſiæ ſuæ cuſtodiat, eamque omnimodis gratiis impleat.

Pariſiis die 9. Septemb. 1672.

Eminentiſſime Cardinalis

Emin. Veſtræ

Humill. & addictiſs., atque obſeq. ſervus
Petrus Flortot Presbyter indignus.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

Eminentissime Domine.

Parisiis Fr. Vincentius Marsolle
1672.

STatim atque onus impar humeris meis impositum est regiminis Congregationis Santi Mauri, venit in mentem singularis vestra Bonitas & incredibilis humanitas, imo & sincerus amor, quo Prædecessorem meum continuo prosequutus es; venere præsertim immensa illa beneficia queis omnes plane cumulasti, cumulasque in dies ejusdem Congregationis alumnos, uti merito Te tanquam Protectorem nostrum suspiciamus veneremurque, ut minimè dubitarim meis Eminentiam Vestram interpellare litteris, enixè rogans, dignetur me licet imparem ea, qua solet benevolentia & comitate amplecti, Congregationemque, cui præsideo, protegere & fovere. Vestra enim Eminentia sua non vulgari pietate affectionem tanto magis debere existimat, quanto amplius impenderit. Quapropter velim certo credat me & omnes nostræ Congregationis ascetas æternum suorum in nos collatorum beneficiorum esse memores, ac Deum instantissime exorare, ut ipsam diutissime nobis & Ecclesiæ servet incolumem. Quod peroptat ex corde sincerissimo

Parisiis in Monasterio S. Germani a Pratis die 12. Augusti 1672.

Emin. Vestræ.

Addictifs. in Christo servus
F. Vincentius Marsolle.

EPI-

EPISTOLA LXV.

Eminentissime Domine.

Parisiis F. Vincentius Marsolle 1673.

SErius ad Eminentiam Vestram perveniet observantiæ meæ significatio quam affectus, qui jamdudum Romam usque prævolavit, ut felicis anni initia, felicemque decursum Eminentiæ Vestræ peroptaret. Neque vero id litteris meis exprimi necesse erat, quod, Deo teste fieri satis fuerit: sed tamen juvat saltem meminisse, ut tu ipse memor sis nostri, ut soles, nostramque Congregationem fovere pergas. Quod nos attinet, Deum precabimur, ut diu Ecclesiæ bono integer & incolumis vivas.

Parisiis die 13. Januarii 1673.

Eminentiss. Domine

Tui observantiss.
F. Vincentius Marsolle.

EPISTOLA LXVI.

Eminentissime Domine.

Parisiis F. Vincentius Marsolle 1673.

PErpetua beneficia, quibus Eminentia Tua exiguam nostram Congregationem sibi magis in dies devincit, continuas a me gratiarum actiones jure deposcunt. Ita redderem, Eminentiss. Domine, ni, cavens ingratus videri, importunius tibi fierem. At si non continuo, saltem aliquando id a me fieri consentaneum est. Et nunc quidem duplici de causa, tum propter humanitatem, qua passus es, ut noster Dominus Joannes Mabillon libellum, quem de Azimis scripsit, tibi dedicaret; tum vel maxime ineunte hoc anno, quem tibi faustum in omnibus ex animo precor, & in quo nullus abibit dies, quin vota, precesque Deo offeram, ut Eminentiam Tuam diu salvam reddat & incolumem pro felici Ecclesiæ statu quam & virtute decoras, & doctrina irradias, & juvas consiliis. En vota

Parisiis die 23. Decemb. 1673.

Eminentiæ Tuæ

Humillim. ac obsequentiss.
F. *Vincentii Marsolle.*

EPI-

EPISTOLA LXVII.

Eminentissime Pater ac Domine.

Heisterbaci Franc. VVeber 1672.

VErecunde ac timide interpello sublimes tuas curas. Attamen, quia subrusticus hic pudor sæpe mihi nocens, audendum fuit, præsertim apud Te, qui tam facili humanitate omnibus pates, ut injuriam virtuti tuæ potius fecerim, si super hac re vel timidius tibi me purgare velim, vel etiam ineptis blanditiis conciliandum magis credam, qui eminentem hanc dignitatem & severa virtute tueris. Consilii Te gratia convenio, conscius quanti sis apud hoc seculum: & quantopere illud putem mihi necessarium, distantia Romam inter Coloniamque (e cujus vicinia hæc mea) facile indicabit. Verum antequam, quod peto, consequar, quam possum brevissimis, me Tibi aperiam. Monachum profiteor Cistercienſem ab anno quinquagesimo nono, & nunc annos numero triginta duos, quos si seriò perpendo, invenior minus habens, idque tum errore proprio, tum quod juventus hæc mea idoneo caruerit moderatore. Jam plures annos tristis expecto emendatiores in Religione mores: at nequicquam. Communi sæpe licentiæ liberius me permisi, & occasio sæpe facit aut cogit errare in iis, quæ ingenti fastidio odi. Sed Deus hanc mihi mentem servavit ut seculari huic ac nimis libero vivendi generi sæpiùs cum displicentia me accommodarem. Sed demum sapere oportet. Studia interim varia instabili ac vaga mente tentavi, &, quod consequens est, exili fructu, eo fere modo, quo conviva ad opiparam mensam e di-

versis dapibus carptim aliquid libat, stomacho manente jejuno. Jussus etiam fui Philosophiam prælegere. Sed demum discipulorum pertinaci socordiæ, & inexhaustæ inutilium quæstionum scaturigini & instabilibus Scholasticæ Philosophiæ fundamentis (pace tua ista liberius) iratus, cessationem oravi: ut animum multiplici fastidio pressum, levarem, & altius excitarem, facili consensu Domini mei Abbatis, Italiam ineo & Romam, ubi Te ante annum submisso vultu salutavi, eumque ex illo, quo me dignatus es, sermone, expertus fui, ut summe optaverim ad Tuam virtutem formari; sed stulta mea verecundia me impediit, quominus me Tibi satis retegerem, aut vanitas nondum sit expugnata. Itaque, cum nec alibi satis perspicerem, quod animo inquieto undequaque placeret, in Germaniam reverti salvus ad meos, eo fine, ut fixa sede, & inductis fluxæ ac male cohærentis doctrinæ lineamentis, nova & solidiora fundamenta conquirerem, petito subsidio, ex universa mathesi, potissimum e Geometria, quod doctissimos aliquot hujus ætatis viros fecisse reprehenderam; atque ita deinceps calidissime cogitabam omnes in orbem scientias peregre pererrare. Expectaturus interea, si forte Dominus annosam, & pertinacem hanc disciplinæ emortuæ glaciem benignioribus radiis cogeret mitescere. Hoc Consilium turbabat alia cogitatio, quæ meæ me tenuitatis ac professionis altius ac severe monebat, Sanctitatem morum, non scientias exigi; has quidem pulchras, illam unam necessariam esse, ad Cœlum non scientiis, ut Tu cordate mones, sed virtutibus iri: nefas ac sacrilegium esse tantum temporis, tantum ætatis primæ veritati subtrahere, inutilia necessariis, viliora nobilioribus, incerta certis præferre. Igitur ut male ac pertinaciter curiosum animum expugnarem: pios do-

doctosque Scriptores, novos, antiquos, contra me statuo ac calenti lectione percurro: didicique demum quod servo Dei omnino necessarium sit uti voluntati, ita & intellectui frenum injicere, retinendumque (quod Tacitus de Agricola) quod est difficillimum, ex sapientia modum. His animo meo persuasi certiore, non velle turbari erga plurima, sed sectari quod unum est necessarium, & integrum se ac indivisum addicere Scholæ Christi, ut discat sobriam Scientiam Sanctorum. Id quod ut consequar inter eos, quibuscum vivo, recte despero. Dum exitum quæro, e Trappensi Monasterio in Northmannia (Tibi utique noto) sincerissimus primævae Cistercienfis vitæ odor mihi adspirat. Huic igitur Pauperum Christi coetui, favente Deo, meditor me adjungere, uti ab omnibus procul abstractus, & præcisa occasione, instabilitatem meam justa necessitate constringam, ac communi tot fortium exemplo juvem. Sed ne arguar proprii judicii ac cerebri, et inconsultæ temeritatis; prudentissimum Tuum hac super re Consilium devote requiro, et a Tua benignitate certo mihi polliceor, qui ideo Eminenti in loco positus es, ut pluribus tanto facilius potentiusque manum porrigas. Desiderium meum subodoratus fuit Religiosissimus ac eruditissimus D. Abbas Cambefonensis, qui Tuo nomini unum ex suis Operibus nuper inscripsit, et mellitissimis suis literis confirmavit: a Te idem expecto, addita etiam, ut facile potes, sedis Apostolicæ Benedictione. Atque ista ardenter rogo, ut tum Juris, ac Ordinis, tum vestra auhoritate facilem abitum faciam: et quemadmodum jam commoror cum meis in pace; ita et sine contentione discedam. Rem statim post Pascha Domino meo Abbati pandam, petita simul dimissione, scribamque super eadem ad Visitatorem. Non dubito quin simul mihi rem sint dissuasuri, nullam magis ob causam,

quam

quam quod hunc feceffum fibi probrofum exiftimabunt. Sed hæc nec olim quempiam Servorum Dei movit, nec modo movere debet. Infuper quoniam a nobis in Northmanniam longiffimum eft iter, & quidvis ego potius a meis, quam nummos impetraverim, peto, ut per Sanctiffimum Dominum noftrum Clementem liceat mihi neceffarios fumptus è patrimonio noftro, quod adhuc manet Monafterium, accipere. Puto quidem id alias, fi negent, licere, fed malo, ut omni motui quam commodiffime contraveniatur. Tu me, ubi erravi, corrige & doce; ita enim fupplex oro, atque obteftor per eum, cui uterque, meritis licet imparibus, fervimus. Quod longiori Te Epiftola impedierim clementer ignofce: putavi enim neceffarium, ut ftatum Tibi meum faltem aliquo modo retegerem. Vale, & cum Orbi expediat, ut quam diutiffimè valeas, id impensè precatur

Heifterbaci 10. Martii 1672.

Eminentifs. Pater, ac Domine

Humillimus fervus tuus in Chrifto
F. Francifcus VVeber
Ord. Cifterc. ex Monafterio Heifferbacenfi.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

Eminentissime Domine.

Lovanii Nic. Du Bois
1672.

EMinentiæ Vestræ virtutes, quæ ipsam ad Sacram Purpuram elevarunt, exigunt, ut merito gaudere debeat Illustris. Gandensis Episcopus suam contra duos Episcopos DD. Gillemans & Van Buscum controversiam, ad ipsius manus devenisse, prout ex litteris, quas dicunt se ab eadem accepisse, passim intelligitur. Verisimiliter etiam miserint appellationem suam & appellationis causas, quibus idem Episcopus pro parte sua satisfecit, meque rogavit, ut per hunc Cursorem mittam ad Eminentiam Vestram: hic enim Lovanii satisfactio prænominata imprimitur ad evitandas moras & difficultatem scriptionis diversarum Copiarum; sed typographus complere non potuit ante hujus discessum: mittam autem cum sequenti; quapropter humillime rogo Eminentiæ Vestræ justitiam & æquitatem, ut antequam aliquid in hac Controversia decernatur, dignetur ejusdem Episcopi expectare & perpendere rationes. De cætero, ut tantum Ecclesiæ suæ Senatorem conservet Deus, in sacrificis orabo

Lovanii 10. Junii 1672.
Eminentissime Domine

Emin. Vestræ
Humillimus servus
Nic. du Bois S. Theolog. Professor.

EPI-

EPISTOLA LXX.

Eminentissime Domine. V. S. B.

F. Michael a S. Augustino
1672.

OCcupatus in Visitatione Conventuum remotiorum Provinciæ nostræ, percepi, Bruxellas pro me advenisse exemplar libri nuper ab Eminentia Vestra in lucem editi; confusus fui & gavisus, dum ex literis R. A. P. Seraphini intellexi, illud ex dignantissima vestra Bonitate pro me transmissum; confusus, quia Eminentia Vestra mei prorsus immeriti & incogniti memoriam habere dignata est; gavisus, quia illam gratuitam dignationem accepi pro omine, quod divina Providentia per lectionem istius libri mihi specialem aliquam gratiam præparaverit: Quocirca gratias ago Deo meo qui instinctum illum Eminentiæ Vestra inspiravit; immortales etiam gratias ago Eminentiæ Vestræ pro superabbundanti erga immeritum affectu. Sed quid respondebo ad cumulum bonorum spiritualium ab Emin. Vestra Benevolentia ordini nostro præstitorum & procuratorum? Ab ipsa emanavit correctio & approbatio Officii S. M. Magd. de Pazzi; ipsa nobis impetravit facultatem legendi officium de Beata in Quadragesima; quatuor Indulgentias plenarias in perpetuum, &c. pro quibus meo omnibus & Provinciæ nostræ nomine infinitas ago gratias Emin. Vestræ; & quid rependam non video, nisi speciales Provinciæ nostræ preces, ut Deus per intercessionem Matris amabilis, dignetur Eminentiam Vestram ad plurimos annos servare incolumem, ad majus Ecclesiæ bonum, & singulare solatium omnium

Religioforum quærentium Dominum: id quod cordialiffime apprecans, & me, ac Provinciam noftram folitæ Veftræ benevolentiæ humillime commendans, fubfcribor

Eminentifs. Domine

Eminentiæ Veftræ

Ex Carmelo Gelrienfi 3. Decemb. 1672.

Humillimus, & obligatifs. Cliens
F. Michael a S. Auguftino.

EPISTOLA LXXI.

Eminentifs. ac Reverendifs. Domine.

Venetiis in Conventu S. Bonaventuræ F. Remy 1672.

TActus dolore cordis intrinfecus & anguftiatus ufque ad medullam animæ meæ, profterno me ad pedes Veftræ Eminentiæ, & humillime fupplico per vifcera Divinæ Mifericordiæ dignetur recordari meorum ultimorum verborum, ac data occafione eadem in Sacra Congregatione referre, (fcilicet quod Romam quidem ex Superiorum ordinatione reliquerim, nullatenus tamen Dei negotium et animarum lucrum, quod huc ufque promovi:) unde ingenue declaro quod eadem remanferit in me promptitudo ad ferviendum Sacræ Congregationi, quæ fuit quando Romam intravi; & proinde omni momento, quo ejus mandata mihi fuerint infinuata, me ad illorum ex-

executionem, promptissimum exhibebo. Fateor quod possem esse quietus in conscientia, ex eo quod dimissio mea non sit a me, sed a P. Generali, & ab Illustrissimo D. Secretario, quantum est ex parte mea optime de negotio informatissimo. Timeo tamen ne inimicus homo superseminaverit tot & tantà Zizania, ut herba informativa a me seminata non potuerit apparere & fructum suum proferre: Timeo, inquam, ne propter meum discessum, Dei & Christi ad animas suspirantis negotium patiatur. Unde humillime supplico Vestram Eminentiam, & omnes Eminentissimos Patres, sic disponant ea, quæ Deus inspiraverit, ac si adhuc Romæ illorum mandata expectarem; Differentia enim loci nullam posuit in me differentiam promptitudinis ad serviendum pro Deo & salute animarum. Idem hodie protestatus sum Præsidi Sac. Congr. per libellum supplicem; Secretario autem ejusdem, & P. Generali per epistolas ad illos directas. Tota fiducia mea, tota spes mea, tota quietatio meæ Conscientiæ sita est in Eminentia Vestra, quæ optime de toto negotio est informata: a qua si verbulum responsi meruero accipere, habebo illud pro finali meæ animæ tranquillitate. Ignoscat mihi Vestra Eminentia, novit enim quod quamvis parvuli, sumus tamen membra Christi, & omnes ad Capitis nostri servitia, pro rata obligamur. Unde timeo ne forte propter meum discessum aliquid in illis Vallibus de Christi ministerio omittatur; conservabo igitur debitam promptitudinem, & dum mandata Sagr. Congregationis mihi fuerint insinuata, ad illas Valles convolabo; in illa confidentia, quod P. Generalis eodem zelo motus, illa non retardabit; nisi fortè ipse in quantum optime novit Subjecta Religionis, alios me aptiores in illum finem destinaret; & in tali casu sufficeret mihi, voluisse. Obtuli in Sancta Domo Lauretana

R 2 Mis-

Missæ sacrificium pro salute & incolumitate Emin. Vestræ. Idem faciam ad Aram Sancti Antonii Paduani, & manebo tota mea vita

Eminentissime & Reverendiss. Domine
Eminentiæ Vestræ
Venetiis in Conventu Sancti Bonaventuræ
12. Feb. 1672.
Servus obligatissimus
F. Remy.

EPISTOLA LXXII.

Eminentissime Cardinalis.

Parisiis Petrus de Goussainville
8. *Decemb.* 1673.

Mitto tandem quas Eminentia Vestra exegit a me Notas in librum rerum Liturgicarum non tam ex meo penu depromptas [novi enim quam sit mihi curta suppellex] quam studio & diligentia Viri Theologi amici mei elaboratas, qui librum illum sedulo sed jucunde perlegit. Sanè quotquot hic viri docti eum legerunt, simile de eo judicium reddiderunt, nempe perfectum opus esse, & ab omnibus Ecclesiasticis continuo pervolvendum. Notas ergo illas qualescumque precor, ut Eminentia Vestra, benigno, ut assolet animo, suscipiat. Interim dum ampliores ei elucubrationes ab eruditis mittentur, Omnipotens Deus incolumem Eminentiam Vestram custodiat ad multos annos.

Datum Parisiis die octava Decemb. 1673.
Humillimus & devotiss. Servus
P. De Goussainville.

EPI

EPISTOLA LXXIII.

Eminentiſſime.

F. Petrus a S. Franc. Abbas Fulienſis 1673.

SPerabamus quod redempturus eſſes Congregationem noſtram ab iniquitate eorum, qui inſurrexerunt contra nos & contra Monaſterium noſtrum de Pinarolio. Juſto equidem judicio. Sperabamus enim ea ſpe, quæ nec confunditur nec confundit. Sed quid non ſperaſſemus, Eminentiſſime, te Patre, te Patrono? Non enim amas & deſeris, & nihil non poteſt Eminentia Tua, quippe, quæ nihil niſi juſtum, niſi æquitati conſonum, nec proſequitur nec peroptat. Juſta equidem & Monaſterio noſtro Jura quæſita, clamabamus: ſed ſedebant Principes, & adverſum nos loquebantur: nec ignoramus, quod plurimi Eccleſiaſtici Principes, etiam Purpurati inſurrexiſſent contra nos; imo & Pater noſter, noſter ſcilicet Abbas dereliquerat nos, abjectiſque Monachis, & Monaſterii Filiis hæreditatem noſtram ad alienos, & domus noſtræ jura, honores, & præeminentias ad extraneos tranſvehere conabatur; nihilque nobis vel minimum ſpei ſupererat, niſi tu, Eminentiſſime, quem te Patrem ſimul & Fratrem gloriamur, extendiſſes ad nos auxilium brachii tui. Ipſe enim redemiſti nos in virtute tua, & in ſanguine Eminentiſſimæ Purpuræ Tuæ. Quid mirum igitur Eminentiſſime ſi hanc veneramur? Si adorant te fratres tui? Si te ſummo, intimoque Cordis affectu proſequimur, tibique juge & perpetuum immolamus ſacrificium laudis & gratitudinis? Sed quoniam bonorum noſtrorum non eges, Eminentiſſi-

tissime, ideo sine intermissione, cum gratiarum actione, petitiones nostræ innotescunt apud Deum pro salute Eminentiæ Tuæ, & pro Supremæ ipsi debitæ dignitatis assumptione, nihilque nobis tam in votis est, quam ut diutius & feliciter vivas, supremusque omnium Pastor moriaris. Hæc sunt vota totius Congregationis nostræ, & hæc ex intimis Cordis visceribus depromit

Eminentiæ Tuæ

Humill., ac obseq. filius, & servus
Fr. Petrus a S. Francisco
Abbas Fuliensis & Superior Congr.

EPISTOLA LXXIV.

Eminentiss. Princeps.

Tall. F. J. Kery 1673.

NEc sum, nec esse possum dubius de gratiosa Emin. Vestræ in Ordinem meum propensione, dignationi tantæ immeritis suis meritis haud facile responsurum. Quia tamen gratiis gratis datis, non tam gratuita quàm debita reponenda sunt obsequia, mearum erit partium totis in id adniti conatibus, ut Eminentiæ Vestræ debito serviendi studio adstringamur. Fretus igitur tantò majore fiducia, quanto vivaciorem gratiæ ab Eminentia Vestra in nos derivatæ animo impressere meo, id unum apud Eminentiam Vestram humiliter orandum duxi, quo Patrem Procuratorem nostrum Generalem præsentium exhibitorem ex hisce partibus [in quas gravium negotiorum nostrorum causa tantisper evocatus erat] in Almam Ur-

Urbem reducem, innata sibi benevolentia, favoreque in omnes diffundi solito, prosequi, ac negotiorum eidem creditorum summam, eximia suæ authoritatis efficacia, in optatum a nobis, gloriæque divinæ amplificandæ intentum finem, promovere dignetur. Id quod nobis (ut speramus) præstitum Deus Optimus Maximus beneficiorum suorum in Eminentiam Vestram copiosissimo influxu compenset.

Eminentiæ Vestræ

Tall. 15. Septemb. 1673.

Obsequentiss. cliens
F. Joannes Rery
Ord. S. Pauli Primi Erem. General. indign.

EPISTOLA LXXV.

Eminentiss., & Reverendiss. Princeps.

Tall. Jo. Kery 1673.

Studuit semper commodis Religionis meæ Emin. Vestra. Quo fit, ut eo recurram iterum; & si unquam alias, nunc patrocinium & opem Eminentiæ Vestræ, qua possum animi demissione, implorem. Vulneratum est graviter evolutis annis nomen Sacræ Matris meæ Religionis, delatique sumus Sacræ Congregationi Propagandæ Fidei, Ordinis Nostri Constitutionibus debitum cultum & observantiam haud omni ex parte a nobis persolvi. Ad quod submovendum, edidit prætacta Sacra Congregatio nonnulla Decreta, quorum initium sic habet: *Sacra Congregatio providere cupiens abusibus qui in Religione Fratrum*

S.

S. Pauli primi Eremitæ contra eorumdem Statuta hactenus irrepserunt, habita matura deliberatione, decrevit, si SS. placuerit, prout infra. Quibus ex verbis liquido patet, Eminentissimos Principes Sacræ illius Congregationis, utpote regularis observantiæ egregios Zelatores, nihil voluisse iis Decretis contra Regulam & Constitutiones Ordinis includi, cum & his præfata Decreta vel minima clausula non derogent, adeoque in sua vi manere juxta constantem Doctorum sententiam censendæ sint.

Quia verò inibi dictis Statutis aliqua repugnant; & prorsus opposita sunt; insuper sine scitu Ordinis, vel etiam Definitione, nescitur quibus ex rationibus impetrata, prout uberius ex Memoriali ad Sacram Congregationem directo, & ex Patre Procuratore Generali percipiet Eminentia Vestra, idcirco ad Sacram Congregationem pro moderatione illorum recurritur, supplicaturque ardentissimè: non pretermittat Eminentia Vestra auctoritatem suam, operamque interponere, quò sæpe fata Decreta nullatenus derogare Statutis censenda sint, nec cuipiam suffragari posse, nisi inquantum Constitutionibus Ordinis consentanea esse, & conformia dignoscantur. Metus est alias, ne supersit continua disputandi materia super Decretorum illorum valore, & quod gravius est, ne cum ingenti dispendio, occasionibusque continuis, religiosa vita & disciplina plane patiatur naufragium. Nec inanem esse hanc sollicitudinem, recentia docuere exempla. Credat Eminentia Vestra negotium aget Religioni saluberrimum, & sine quo regularis observantia plurimum labefactabitur. Rem totam curæ, providentiæque Eminentiæ Vestræ permitto, quæ si preces has meas, Ordinisque prono favore complecti dignata fuerit, penes eam magni meriti laus, penes me verò, Ordinemque meum beneficii adepti gratia in æter-

æternum manebit. Servet Deus Eminentiam Vestram ad dignitatem & decus Christiani Orbis diutissimè, cui vitam placidissimam, & fortunam prosperrimam summa cum animi devotione advoveo

Eminentiæ Vestræ

In Tall 23. Junii 1674.

Clientum infimus
F. Jo. Kery Ord. S. Pauli Prim. Erem. Generalis indignus.
F. Matthias Furkovich Secret.

P S. Significo Eminentiæ Vestræ S. Matri Ecclesiæ novum recenter accessisse Martyrem, Patrem Ordinis nostri Georgium Cheppelleni, quem Tyranni rebelles ex Parochia Fuzeriensi in diram captivitatem abductum, & crudeliter percussum, post ingentes cruciatus decollarunt. Cadaver spoliatum ad nudum jacuit ardentissimo soli expositum per dies & noctes quinque, & tamen quando levatum est corpus per Parochum Kovesdiensem, & duos alios Parochos ad sepeliendum in Templo Kovesdiensi, nec rigor membrorum, nec odor alicujus corruptionis sensu perceptus est, cum fuerit plus quam quatriduanus. Quæ omnia in suis nuper datis post diligentem inquisitionem confirmat partium illarum Diœcesanus Illustriss. D. Franciscus Szegedi Episcopus Agriensis

F. Joannes Kery.

EPISTOLA LXXVI.

Eminentifs., ac Rev. D. Cardinalis D. ac Patr. Colend.

Liburni F. Sebaſtianus Knab.
1673.

Aliquot jam menſes ſunt, a quo recepi deciſiones illarum Controverſiarum hic Liburni inter Armenos ortarum, ſcilicet de Celebratione Feſtorum, ac de mentione facienda in Miſſa Armenorum Patriarchæ & aliorum; circa quas Sacra Congregatio ſpecialiter circa nominationem Patriarchæ determinavit, quod hoc omnino prohibeatur. Dum autem conabar ejuſmodi Deciſiones executioni mandare, arduas inveni difficultates & impedimenta, cum iſti Armeni ejuſdmodi deciſionem recipere omnino nolint, adeo ut neque Eccleſiam amplius frequentent, neque Capellano amplius neceſſaria ſubminiſtrent. Ac licet diverſimode ac ſolicite conatus fuerim ipſis perſuadere, ut ejuſmodi deciſioni obediant, plus tamen potuit ipſorum obſtinatio, quam mea perſuaſio.

Cogitans itaque quodnam huic malo proficuum eſſe poſſet remedium, caſu incidi in librum quendam P. Verricelli de Miſſionibus Apoſtolicis, in quo ex profeſſo hanc quæſtionem movet, ſcilicet: = An Sacerdos Græcus Catholicus licite poſſit in Sacrificio Miſſæ mentionem facere ſui Epiſcopi aut Patriarchæ notorie Schiſmatici vel heretici =. Ubi cum reſolvat in favorem, ſcilicet abſolute remoto ſcandalo poſſe hoc fieri, volui totam illam quaeſtionem ex eodem Authore de verbo ad verbum a me ipſo deſcriptam Veſtræ Eminentiæ tranſmittere, ſupplicando, ſi fortaſſis intuitu probabilitatis hujus ſententiæ S. Congregatio velit con-

condescendere, ac ad minus executionem decisionis factæ pro nunc suspendere, ut per hoc dicta Natio priori se det quieti & paci, usque dum cum tempore opportuniori executioni mandari possit. Pro hoc supplico videndo quod hæc concessio huic Missioni plurimum prodesse possit. Cum quibus profundus Vestræ Eminentiæ purpuratam devote exosculor oram.

Liburni 25. Septembris 1673.

Vestræ Emin. ac Rev. Dominat.

Humillimus servus
F. Sebastianus Knab
Dominicanus Missionarius.

Verricellius in Tractatu de Apostolicis Missionibus Tit. de Fide quæst. 49. fol.148.

AN Sacerdos Græcus Catholicus licite possit in Sacrificio Missæ mentionem facere sui Episcopi aut Patriarchæ notorie schismatici vel hæretici.

Negat Petrus Arcudius lib.3. de Sacramentis Ecclesiæ Orientalis cap.39. non ex eo quia prohibitum est orare pro publice excommunicato & consequenter pro Hæreticis & Schismaticis. C. a nobis de Sententia Excommunicationis. Nam per extravag. ad evitanda Martini V. id hodie licitum est, cum Græci non sint nominatim Excommunicati, neque declarati hæretici aut Schismatici; quare aliis rationibus suam opinionem confirmat.

Probat primo, quia his verbis fit ea mentio, nempe memento Domine Archiepiscopi nostri N. quem concede Sanctis tuis Ecclesiis in pace salvum, honorabilem, sanum, longævum ac recte tractantem ver-

bum veritatis tuæ: Sed his verbis commendatur & approbatur fides Patriarchæ aut Episcopi, ergo implicite approbatur hæresis & Schisma. Ergo est intrinsece, & omnino illicitum; neque timore mortis excusari potest a peccato.

Secundo probat; quia id fit in contemptum fidei Catholicæ; plerique enim Græcorum ex hac precatione recitata vel omissa jactant se agnoscere, an Sacerdotes celebrantes sint ex animo græci vel latini: seu an sint Schismatici, vel Catholici ac Romanæ Ecclesiæ obsequentes: ergo ea precatio seu mentio fit in contemptum Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ.

Tertio probat, quia ea ratione Græci omiserunt in Sacro mentionem facere Romani Pontificis, quod eum hæreticum esse existimant: ergo nobis idem de illis sentientibus, non licebit de iis mentionem facere.

Dico primo. Per se loquendo seu remoto scandalo, non est illicitum Græco Sacerdoti eam precationem recitare, quamvis ejus Patriarcha vel Episcopus esset notorie schismaticus aut hæreticus.

Probatur quia ea honorifica mentio non fit eo sensu, quasi fides Patriarchæ aut Episcopi approbetur; sed Patriarchalis aut Episcopalis Dignitas consuetis titulis honoratur, quamvis ea dignitas actu resideat in indigna Persona; quod luculenter ostendit Cardinalis Baronius anno 260. §. 21. & 22. ubi ex Eusebio lib.7 c.10. refert Sanctum Dionysium Alexandrinum Patriarcham sic Emiliano Præfecto respondentem: == Nos unum Deum; rerum omnium fabricatorem, qui Valeriano & Gallieno Cæsaribus Augustis, Viris Sanctissimis Imperium largitus est, & colimus & veneramur: (Subdit Baronius) at ne mireris, cum audis Dionysium, Sacrilegos Imperatores dicere viros Sanctissimos: non enim eo sensu, quo nunc usurpatur,

vox

vox illa dici consuevit: utitur Dionysius solitis tribui tum temporis Imperatoribus titulis: quod constat tum Ethnicorum Scriptorum locis, tum ex Inscriptione Veronensi, ubi inter alia hæc de eodem Gallieno: = Jubente Sanctissimo Gallieno Augusto =. Porro sic ex consuetis titulis Dionysius dicit Imperatores illos Sanctissimos, quo & Paulus Apostolus scelestissimum hominem Felicem alloquens Act. c.24. ait: = Optime Felix =. Cum alioqui ex proprietate quoque vocis, Imperatores licet nefandissimos, tamen Sanctissimos appellare potuisset: Nam Cicero pro Archia Poeta ait: = quare suo jure noster ille Ennius Sanctos appellat Poetas; quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur =. Si igitur quod a Deo datum creditur, Sanctum dicitur; cum constet ex Christianæ legis Præscripto, Principes etiam malos a Deo dari in ultionem peccatorum, secundum illud Oseæ 13. = Dabo vobis Regem in furore meo = & Job.27. = qui regnare facit hominem hypocritam =; hac ratione utique potuit illos nominare Sanctissimos. Quod si impii sic dicti sunt, quomodo non etiam hac saltem ex parte quique Episcopi, quantumlibet moribus depravati, Sanctissimi jure dicendi sunt? == Hactenus Cardinalis Baronius qui eadem docet anno 58. Ergo non est fidei approbatio, honorificam mentionem de Patriarcha aut Episcopo facere, sed ex consuetis titulis dignitatem honorare: neque ullum est mendacium, cum de notorio schismatico aut hæretico Episcopo Sacerdos ait: = recte tractantem verbum veritatis tuæ = siquidem non quid faciat, sed quid facere debeat ostendit.

Probatur 2. ex actis Concilii Ephesini Par.1. ut habetur in Tom.1. p.2. Conciliorum Generalium fol. 151. ubi legitur Epistola S. Cyrilli & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, cu-

cujus inscriptio est : = Cyrillus & Synodus ex Ægypti Provincia Alexandriæ congregata Nestorio Religiosissimo, piissimoque Sacrorum Comministro in Domino salutem. = Sed eo tempore erat Nestorius manifestus ac notorius hæreticus, prout eam Epistolam legenti patet, nam inter cætera sic ait S. Cyrillus =: Totam Ecclesiam graviter offendisti, ac non iis modo qui Constantinopoli versantur, novæ insolitæque hæreseos fermentum, sed omnibus ubivis locorum degentibus objecisti; circumferuntur enim passim tuarum exegeseos libelli. = Hæc S. Cyrillus de impiissimo Nestorio, quem tamen quia adhuc non declaratum neque depositum, honorat titulo Religiosissimi ac piissimi Sacrorum Comministri. Ac post depositionis Sententiam Ephesinum Concilium ad eundem Nestorium sic scribit: (ut habetur P.2. act.1. Concilii Ephesini fol.210. To.1. p.2. Conciliorum Generalium) = Sancta Synodus in Ephesiorum Metropoli per gratiam Dei congregata, Nestorio, novo Judæ; agnosce te ob impias prædicationes tuas juxta Ecclesiasticarum Sanctionum decreta a Sancta Synodo depositum atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse. =

Ergo ante declarationem Ecclesiæ non est illicitum, Episcopum quamvis notorie & manifeste hæreticum, tamen solitis titulis, aliisque verbis honorare; nam ille honor non Personæ sed dignitati, quam adhuc retinet, defertur: Ergo a pari ea honorifica mentio Episcopi notorie schismatici vel hæretici in Canone Missæ non est suæ hæresis aut schismatis approbatio, sed est dignitati exhibitus honor.

Probatur 3. Nam si Romanus Pontifex [quod Deus avertat] esset vir notorie scandalosus, ac pravi exempli ac depravatæ vitæ, quod esset omnibus manifestum; non propterea Sacerdos celebrans mentiretur dicens de ipso: Da ei quæsumus Domine verbo

&

& exemplo quibus præest proficere: = Ratio est, quia Sacerdos non affirmat, eum nunc proficere verbo & exemplo, sed Deum rogat ut proficiat; sic a pari græcus Sacerdos non affirmat, nunc suum Episcopum aut Patriarcham esse recte tractantem verbum veritatis; sed Deum rogat ut concedat recte tractare, dicens: = concede recte tractantem verbum veritatis tuæ =: ergo non mentitur; quamvis tunc esset manifeste ac notorie hæreticus.

Dico 2. per accidens ratione scandali pusillorum, potest esse illicitum, eam commemorationem honorificam de Patriarcha aut Episcopo notorie hæretico aut schismatico facere: sed quia scandalum hoc procedit ex ignorantia, faciliter tolli potest per monitionem, aut si publice Sacerdos profiteatur se esse Catholicum ac Romanæ Ecclesiæ obsequentem. Ex his patet responsio ad Contraria.

Ad primum patet ex dictis. Ad secundum respondetur, scandalum procedere ex ignorantia, unde per admonitionem aut publicam fidei professionem tollitur.

Ad tertium respondetur, quod sicut de Græcorum stultitia curandum non est, ita nec eorum sequendum exemplum, vel recolendum illud Apostoli: = noli vinci a malo, sed vince in bono malum = sic enim suavius ad fidem Catholicam trahentur Græci. ==

EPI-

EPISTOLA LXXVII.

Eminentiſs. D. D. Joanni Bonæ S.R.E. Cardinali Franciſcus Valzania S. & F.

Taurini Franc. Valzania 1673.

VEteres Sicyonii Coronidem Deam, tanquam eventuum præſidem coluerunt, ſed non niſi tranſlato ejuſdem in Palladis templum ſimulacro, ſacris honoribus proſequebantur. Morum candor, Eminentiſſime Princeps, & Scientiarum omnium peritia te genuinam Palladis, hoc eſt ſapientiæ imaginem efformant. Ea propter Civitas, quæ te peperit, monti jucundiſſimo coronidem imponens, quamvis proprio lumine ſatis late præfulgeat, nihilominus, inſigni divinarum tuarum laudum adjectione longe profuſiori ſplendore clareſcit. Olim a ſui Collis tum amœnitate, tum ubertate, ejuſdem verticem clariſſimis mœnibus coronans, Regalis nomen aſſumpſit. Nunc vero gentilitiis tuis roſis; quæ germano tuorum morum candore depictæ, ex novo Cardinei muricis rubore, bicolores pulchrius refloreſcunt; coronata idem ſibi pleniori jure confirmavit: fama, cujus munere hominum æque, ac Urbium claritas æternitati commendatur, novam gloriam, quam non pridem adeo Franciſcus Adrianus, Cardinalis a Ceva, Concivis tuus Patriæ comparaverat, nuperrimæ tuæ dignitatis beneficio geminavit. Imò celeberrimum Collem, ex Alpium radicibus exurgentem, ſuper Alpes ipſas altiſſime elatum ſeptem Romanis æquavit; & binis firmiſſimis glorioſiſſimorum Alumnorum columnis arcum immortalitatis erexit, ſub quo ampliſſimæ Urbis nobi-

bilitas jugiter de vetustate triumphet. Illa eadem virtus; quæ tibi, vigili Pastori, utpote in Montis regalis specula nato, & in eadem cænobiticas Christi oves pascendi tyrocinium functo, totius reformatorum S. Bernardi Monachorum Ordinis contulit pedum; te inter purpuratos Ecclesiæ Atlantes cooptavit; & Tesserarium aureum leonem tuum aureo Sanctissimi Romanorum Antistitis, hoc est Orthodoxæ Reipublicæ Salomonis solio pretiosissimum fulcrum adjunxit. Hoc novissimum tuum decus Italiam pene totam, ac Romam ipsam insolito fulgore concussit. Præcipue vero Subalpina regio, utpote quæ tibi vivendi dedit initia, in exultationem effusa, tuos ivit in plausus; veneraturque prolixius purpuram tuam, veluti illam, in qua auspicatissime rubescit aurora, quæ aliquando tibi, tanquam lucidissimo terrarum soli, triumphalibus octo supremæ virtutis orbitis, totidem scilicet Pythagoricis justitiæ numeris invecto supremas orbis habenas tradet. Mea Musa, nitidissimo tam faustæ auroræ radio, serius excitata gentilibus tuis rotis, ejusdem radii repercussione, nunc primum bellissime candido purpurascentibus, tanquam germana Musarum corona sese audacter redimivit, & rauco canore garriens, candorem hujusmodi gratulabunda modulatione salutat:

Numinis in Trino speciem, Cistercius Ordo
Indigetum Triadem jactat adesse sibi.
Divus, Sanctifici, Robertus, Conditor Ævi,
Implet divini munera summa Patris.
Roberti Soboles, Bernardus, ab ubere pastus
Virgineo, est Homini par, similisque Deo.
Numen Pneuma Sacrum, Superis quod in ignibus ardet,
En Bona, purpureo lucidus igne refert.

Neutiquam ignoto fuisse mearum partium meum erga amplitudinem tuam obsequium, jampridem luculentis literis significare. Sed, ut des facile veniam, suppliciter rogo. Animus quippe, post desideratissimi mei Patris obitum, ærumnarum cumulo obrutus, & corruenti prope una cum fulcro domui sustinendæ impar tantum non succubuit; & effecit, ut infirmum, atque hebes ingenium, vix dum humaniorum literarum rudimentis excultum, cæca rerum caligine circumfusum profundissimo veterno solveretur. Devotissimam tamen observantiam meam elinguis tuæ præstantiæ admirator tibi venerabundo consecrabam silentio; & Cardinalitiam dignitatem tibi, eximia veluti somnii specie detentus, tacitis meum ipse officiis gratulabar. Tandem iteratus tuæ purpuræ fulgor mentis tenebras ægre discussit; & resonans undequaque festivus acclamationum fragor nostram utique Minervam, gravissimo torpore sopitam excitavit. Audies profecto ab aliis plurimis elegantissima in laudem tuam elogia. Superius ego, tuæ prorsus sublimitati inferius, pro ingenii tenuitate elucubravi. Annue, ut inter suavissimos cycnorum & lusciniarum, tibi plaudentium choros insulsus ipse graculus garrulis stridoribus obstrepam. Si minus me amplitudini tuæ commendabit orationis humilitas, authorabit certe felicitas natalium, utpote optimo illo, & maximo Viro, Antonio Valzania, primo loco genitum. Qui dum vitæ cursum perageret, æqui non postremum inter præstantissimos Sabaudiæ equites, ac inter nobilissimos nostri seculi Platones locum consecutus est: Cujus divinæ virtutes omnes, cum perfecto formæ, & totius corporis habitu conjunctæ, & absolutissimum secundi Dei, hoc est hominis exemplar exponunt. Qui annum agens sexagesimum quintum, anno sexagesimo septimo supra millesimum sexcentesimum, tres & viginti dies li-

lipyria febri combuſtus, ſub Octobris ſextæ lucis exortum, hoc eſt quadrante minus decima Italici horarii, eadem, qua natus eſt, hora, præmaturo nimis fato extinctus eſt; cum perpetuo honeſtiſſimæ Conjugis, ejuſdemque Matris meæ; (quæ ſicuti ipſius imago erat, illique ſuperſtes, communium filiorum tutelam ſanctiſſime & ſolertiſſime adminiſtrando graviſſimam jacturam non modice ſolabatur, ita nuper, quinque poſt annos, totidemque dies, quadrageſimum ipſa, & octavum agens, iiſdem recurrentibus hebdomadibus, eodem morbo, eodem fato, eodem menſe, eademque hora ſublata recentis funeris luctum acerbiſſime germinavit,) liberorum, trium maſculorum, & totidem fœminarum, amicorum, affinium, Regiorum Principum, totiuſque Sabaudæ Aulæ, ac univerſæ fere Taurinenſis Patriæ deſiderio: Qui humillimum obſequium ſuum, quo Divinam virtutem tuam ſemper coluit, mihi glorioſa ſucceſſione tranſcripſit: Qui denique ſicuti inter mortales degens Cardinalitium apicem ampliſſimis tuis meritis feliciter ominatus eſt, ita nunc nobis præreptus, ſed inter immortales redivivus de cælo certiſſime gratulatur. Sed ne meæ erga dilectiſſimum, & glorioſæ recordationis Genitorem pietati nimium tribuere videar, te ipſum teſtor, vir ſapientiſſime, qui ſtatim ac pulcherrimas ejus & animi, & corporis dotes, ac rectiſſimam vitæ rationem noſti, illum tibi, perpetuo ſanctiſſimæ familiaritatis nexu indiſſolubiliter conjunxiſti. Nefarii flagitii reus eſſem, ſi paterer cæleſtis viri eudoxiam idem fatum ſubire, nec doctiſſimas æque, ac luculentiſſimas ejuſdem Scriptiones, ab oblivionis tenebris vindicatas, & in unicum volumen congeſtas luci reſtituerem. Quapropter ne mihi, quam poſſum, illi vitam rependere non ſit integrum, humiliter obſecro benignitatem tuam, quatenus quæcumque ipſius monumenta,

brevi, seu prolixa, stricta, seu soluta oratione, & quocumque idiomate exarata apud se invenerit, mihi mittere non dedignetur. Futurum spero, ut justissimas preces meas, qua Patrem meum semper prosecutus es, eadem humanitate suscipias. Demum posito genu, & prono venerabundus capite Sacram tuæ Purpuræ oram verecunde osculatus, hoc unum, quod habeo potissimum in votis, pro Epistolæ Coronide subjungam. Utinam Emin. Heros, ignea Ecclesiæ columna, brevi supra Petri petram, hoc est, supra convenientissimam Styhobatam collocata; postquam Christiano Populo, per tenebricosum vitæ mortalis iter, ad supremam Hierosolymam contendenti, Divini Pneumatis ignibus insuper afflata, quam diutissime præluxeris, Justitiæ solis radiorum Indulgentia altissime elata, in Suprema Empyrii Regione constituaris. Vale.

Taurini Idibus Januarii, anno 1673.

EPISTOLA LXXVIII.

Eminentissime Pater.

Ægidius Gabrielis.

GRatia Vestra Eminentissima dignata est mihi mittere per Dominum Internuntium illa Corollaria meæ Antithesis, quæ præcipuam videbantur pati difficultatem, quia eorum reprobatio videbatur quinque damnatarum Propositionum approbatio. Verum quam sim ab istis damnatis Propositionibus alienus patebit Eminentiæ Vestræ, totique Sacro Collegio per illud Scriptum, quod tradidi Domino Internuntio,

mea

mea manu coram illo ſignatum, cujus duplicatum tranſmiſi ad Dominum Præſidem Collegii Tongerloani, cum his Eminentiæ Veſtræ exhibendum. Cæterum bonitati Veſtræ pari ſapientiæ dono præcellenti ineffabiles gratias ago, quod inter tot, & tantas occupationes ſuas, Theſes ſervi ſui legere & examinare, & in patrocinium ſuum recipere, ac dubia circa illas elucidanda remittere, non ſit gravata. De me quod rependam Patrono meo Colendiſſimo obligatiſſimus, ſed pauper clientulus, non habeo. Rependet Altiſſimus. Qui enim guttam aquæ datam ſitienti non relinquit irremuneratam, quanto magis incomparabilem veritatis ſuæ defenſorem ampliſſimo donabit æternæ gloriæ præmio? Audebo dicere Domino noſtro Jeſu Chriſto in ſacrificiis meis, ut qui ſemper exauditur pro ſua Reverentia, interpellet Patrem pro Veſtra Eminentia, pro qua vix audet illum rogare mea indignitas, vel non poteſt, ſicut oportet, mea frigiditas. Unum vero prius quam claudam, adhuc petam a Domino, ut me ſervum ſuum, qui veritatem quærere profitetur, & invenire cupit, ſi forte in ſcripto meo, aut in aliis Theſium mearum aſſertionibus, aut reprobationibus, aberraverim a ſenſu SS. Patrum aut mente Eccleſiæ, propter Dei amorem docere non gravetur ſemper paratum audire & diſcere, Sanctæque Sedi obedire, uti ſum

Eminentiſſime Pater

Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Dominat. Veſtræ

Humill. ac obſeq. ſervus & cliens
F. Ægidius Gabrielis
Tertii Ordinis S. Franciſci S.T.Lector.

EPI-

EPISTOLA LXXIX.

Eminentissime Domine.

Bruxellis Ægidius Gabrielis 1674.

INnata Vestra Bonitas omnibus notissima provocat omnes, qui tenebricoso hoc sæculo in veritate conantur proficere, ut ad Sapientiæ Vestræ lumen recurrant, & dum a malevolis apud Sanctam Sedem fortassis impetuntur, Auctoritatis Vestræ Patrocinium apud eandem implorent. Ego ex illis minimis utroque titulo & profectus & patrocinii post humillimum Purpuræ Vestræ osculum, Eminentiss. Paternitatis Vestrae genibus advolutus, rogo, ut me super sequentibus audire, & docere, & opem præstare non gravetur. Thesis, quam huic Epistolae jungo, multos in me armavit, quia ipsorum armamentum ad omnes casus favorabiliter & benigne (ut ajunt) revolvendos, seu ad consuendos pulvillos sub omni cubito, impugnavi, & acriter nimis (uti clamant) improbavi. Fateor, quod usus fuerim terminis energeticis ad exprimendum vivacius mentis meæ sensum, & horrorem, quo laxitatem casuisticae probabilitatis a me improbatae, & regulis post antithesim subjunctis innixae, abhorreo: Sed etiam profiteor, quod nullius censurae ferendae auctoritatem, quae foret ridicula, mihi arrogem; & hoc omnibus satis perspectum puto. At volui principium illud Casuistarum = *Quidquid est speculativè probabile, est practice certum*: improbare, quatenus ab illis quasi pro Regula Canonica nobis obtruditur, ostendendo quod ex illo sequatur mea Antithesis, & subjuncta Corollaria: uti non difficulter

ter possum ostendere ex ipsismet Casuistis docentibus dari ignorantiam Dei invincibilem & excusantem a peccato. Nam inde sequitur posse dari ignorantiam invincibilem legis æternae & obligationum inde profluentium, ac per consequens omnimodam excusationem a peccato, quod est contra legem aeternam. Non est tamen meae intentionis reprobare omnia contenta in Corollariis, cum sint multa de fide, sed impugnare illa ut argumenta, in quibus vel antecedens falsum est, vel consequentia, quae tamen ex dicta probabilitate sequuntur. Non etiam est meae intentionis rejicere legitimum usum probabilitatis, quando ipsi adjungitur aliquod principium certificans bonitatem actionis; sed mere negare, quod probabilitas per se sumpta, possit esse regula ultima morum nostrorum, sicut a casuistis docetur. Haec sunt, Eminentiss. Pater, quae breviter exponenda habui, ut ab Emin. Vestra Sapientia discam errorem meum, si quem docui, vel, si recte docui, veritatis & doctrinae meae Patrocinium apud Sanctam Sedem, apud quam, ut intellexi, examinatur Thesis mea, a Vestra Gratia obtineam. Enim vero si erraverim cupio corrigi, quia errorem super omnia detestor: si in modo loquendi excessi, nimio zelo attribui peto: confido tamen, quamvis homo fallibilis sim, a me proposita, quo ad substantiam veritatis & doctrinae, a Sancta Sede non reprobanda. Interea Eminentiss. Vestrae Gratiae longaevam a Domino Deo incolumitatem ad bonum Ecclesiæ & Defensorum veritatis ejus apprecatus, maneo ejusdem

Bruxellis 24. Februarii 1674.

Eminentissime Domine

Humill. servus in Christo
F. Ægidius Gabrielis
Tertii Ordinis S. Francisci S.T.L.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

Jesus Maria

Pax Christi

Eminentissime Princeps.

Duaci F. Carolus ab Assumptione Carmelita 1674.

QUid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Liberavit pauperem a Potente, & Pauperem, cui non erat adjutor; nec tamen sine adjutore. Etenim qui dominatur Cordibus humanis excitavit Eminentiam Vestram, ut me potenter adjuvaret. Protector iterum factus es veritatis. Germanus non essem Philalethes, hoc est sincerus non essem veritatis amator, si Protectori meo, gratias quas possum maximas, non rependerem. Ex imo igitur cordis mei fundo eas rependo. Suscipe, Eminentiss. Princeps, vota mea, quæ quotidie reddo pro salute vestra, ut per multos annos Dominus Deus incolumem servet Emin. Vestram in protectionem veritatis, quæ tam multis odium parit. Utinam æternitati nominis vestri aliquid consecrare possem! Utinam affectum meum æquaret potestas! Sed quid opto veritatem amanti, & nihil praeter eam quaerenti? Ipsa sit merces Vestra per infinita æternitatis sæcula. Sic vovet

Duaci 15. Aprilis 1674.

Eminentiss. Princeps

Tuus in perpetuum cliens, & servus obseq.
F. Carolus ab Assumptione
Carmelita Discalceatus indig.

EPI-

EPISTOLA LXXXI.

Eminentiss. ac Reverendiss. Princeps Domine Domine & Patrone Colendiss.

Zagrabiæ F. Martinus Bozbovich 1674.

PArcere dignabitur Eminentissima Celsitudo Vestra si eamdem multis rebus Ecclesiæ Dei occupatam, præsentibus accedere præsumo. Ex informatione sinistra unius aut alterius personæ, emanarunt certa Decreta immediate pugnantia cum certis passibus Constitutionum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, ad quæ servanda ligantur vi professionis emissæ. Cæterum, cum indignum membrum ejus Sacræ Religionis sim, quam etiam minus licet sufficienter bis rexi, commendo humillime instantias, si quæ fuerint factæ per P. Procuratorem Generalem ex mandato suorum Superiorum præcitatæ Religionis, ut dicta Decreta conformia in sui attemperamento iisdem Constitutionibus reddantur, cum prudentissime & zelosissime Eminentissima Celsitudo Vestra judicet viros Religiosos, si a tenore suorum Institutorum discedant, in graviora prolabi. Facile fecit Eminentissima Celsitudo Vestra cum sua interpretatione, afflante Spiritu Divino quoad Doctorum praeeminentiam, rem saluti animarum, ac disciplinae Religiosae conservandae optatissimam. Generalis ejusdem Sacrae Religionis æquiparatur Magnatibus, ex quo ad Regni Comitia per literas Regales vocatur, loco gaudeat inter Prælatos, cum quibus votare solet, ubi liberæ electiones interveniunt, cui si ea negata fuerint, quae eidem Statuta attribuunt,

& conditio Status requirit, facile contemnetur a sibi Subditis, cum Religiosæ observantiae jactura, animo forte remissiori in ea promovenda reddito. Eminentissima Celsitudo Vestra cum præmissa sanctè penetret, parcet meae audaciae rogo demisissime. Quam Deus Opt. Max. Ecclesiae suae Sanctae ac communi bono servet florentissimam, cujus sacras humillime pro fine exosculor manus

Emin. ac Rev. Celsitudinis Vestræ

Zagrobiae 31. Julii 1674.

Servus humillimus

F. Martinus Bozovich Episcopus Zagrabiensis.

EPISTOLA LXXXII.

Eminentissime Domine.

Ulyssipone 1674.

Obstrictos magnopere nos invenimus pro tantis favoribus, quibus Eminentia Vestra nos cumulat erga ministerium hujus Sancti Tribunalis Inquisitionis, & protectionem nostram in Sacra Congregatione. Suppliciter rogamus Eminentiam Vestram, ut similes favores prosequi dignetur cum Eminentiss. D. Collegis, ne admittantur rationes gentis Hebraicae hujus Regni adversus hoc Tribunal, & ejus Ministros, utpote oppletæ calumniis hujus perversae gentis, quae contendit extinguere Sanctum Inquisitionis Officium, ut libere & absque supplicii timore propter sua crimina meriti, vivat; & nec audiatur in conatu veniæ generalis & mutationis in modo procedendi contra infideles; nec aliqua sumatur resolutio, no-

nobis inauditis. Propter defectum licentiae Sereniſſimi Principis noſtri, uſque adhuc nobis non licuit mittere Miniſtrum in Curiam, ad informandum cum ſumma veritate Sanctitatem Domini Noſtri, & Sacram Congregationem de noſtrà juſtitia; ubicumque talem licentiam obtinuerimus, illico ibi erit. Interim protectionem Emin. Veſtrae expoſcimus in hoc negotio, & Deum Opt. Max. rogamus, ut Emin. Veſtram ad diutiſſimos annos conſervet, ſicut in votis habemus. V.

Ulyſſipone die 19. Februarii anni 1674.

Eminentiæ Veſtræ

Promptiſs. ſervitores
F. Petrus Mag. Emanuel Magallanus Meneſius
Emanuel Pimentel de Souſa. Petrus Mex & Mag.

EPISTOLA LXXXIII.

Eminentiſs., ac Rev. D. Patron. Colendiſs.

Avenione F. Hieronymus de Graſſe 1674.

BEnevolentia ſingularis, qua Eminentia Veſtra me dignata eſt intuitu Eminentiſs. Domini Cardinalis Gabrielli, fecit, ut nunc audacter ſimul & humillime favorem ipſius ambiam in caſu mortis R. P. Inquiſitoris hujuſce Civitatis & Legationis. Emin. Cardinalis Praefectus S. Officii jam ab annis aliquot ſpem aliquomodo fecerat praefato D. Emin. Cardinali Gabrielli, caſu quo munus Inquiſitoris in hiſce partibus vacaret, neminem fore mihi in illius proviſione

praeferendum. Jam Eminentiam Vestram humillime obtestor, per illam mihi liceat illius opem implorare ad hoc si quando Deo, illiusque ministris ita bene visum fuerit, haec bona propensio & voluntas erga me cassa non fuerit & inanis. Interea vota omnia mea in cœlum dirigam pro diuturna E.V. incolumitate cujus toto eximio affectu & summa cum reverentia sacras Vestes deosculor

E. V.

Avenione 13. Augusti 1674.

Devotiss. humill. & devinctiss. servus
F. Hieronymus De Grasse
Vicarius Gener. S. Officii Avenion.

EPISTOLA LXXXIV.

Eminentiss. & Rev. D. Patrone Colendiss.

Antuerpiae Jo. Episcopus
1674.

POstquam multis mensibus calamum cohibui, ne scribendo nullum temporis momentum, quod rebus Urbi & Orbi profuturis sanctissime consecrasti, Tuae eriperet Eminentiae, nunc illum diutius nequeo continere, cum ut scribam, suadeat cultus Deiparae, & Proborum innocentia, quibus se non illibenter Patronum exhibebit. Illi quidem, ne ejus Majestas, quae in sancto, & spirituali Virginis amore, eamque imitandi studio praecipue est collocata, degeneret in verborum blandimenta & mundum muliebrem, quibus vanitas Puellarum delectatur. Isti vero, ne viri, qui Sanctissimam & Prudentissimam Virginem mo-

morum ſanctimonia & rationabili obſequio cupiunt celebrari, traducantur, perinde ac ſi Divorum ac Deiparae cultum ejuraſſent, cum aliud ſibi haud propoſuerint, quam illum ab iſtis erroribus expurgare, qui eum Catholicis noxium, & Hæreticis reddit ridiculum.

Non pauci eruditione ac pietate conſpicui, honori Virginis & Proborum famae putant profuturum, ſi quod de *Salutaribus Monitis* ſcripſi, Judicium publici juris foret. Aſſentirer illorum aſſertioni, ſi illud cum approbatione Sancti Officii lucem aſpiceret; nec hunc ſolummodo fructum tunc mihi ex illo pollicerer, ſed ſperarem etiam, quod ortam hic occaſione *Monitorum Salutarium* ſedaret tempeſtatem; nec non fœderati Belgii haereticos doceret, nihil eſſe in cultu Deiparae, quo Chriſti obſcuretur Religio, aut quo Peccatorum impœnitentium nutriatur praeſumptio. Epiſtolam ergo, quo meum de *Monitis* judicium cotinetur, Veſtrae Eminentiae mittere audeo, rogans, ut eam examinare, & a ſe examinatam ad Sanctum Officium mittere non gravetur; ejus enim cenſurae illam ſubjicio, paratus ad ejus Inſtructionem emendare, quicquid in ea emendandum judicabit. Crediderim, quod Auctor *Monitorium Salutarium*, illam direxerit in Urbem; verùm exemplar hiſce junctum auctius, & in uno aut altero loco nonnihil mutatum. Quare hocce examinari, & pro meo haberi cupio: Quod ſi per Veſtrum Patrocinium in Sancto probetur Officio, cultui Deiparae ſuam Maieſtatem, & Viris probe Catholicis ſuæ famæ vindicabis integritatem: Et me, quem mille titulis tuum feciſti debitorem, denuo conſtitues

Emin. ac Rev. D. Patrone Colend.

Antuerpiae 23. Junii 1674.

Veſtrum devotiſs. & obedient. famulum

Johannem Epiſc. Caſtor. Vic. Apoſt.

EPI-

EPISTOLA LXXXV.

Eminentissime Domine.

Gandavi, Ignatius Gillemans 1674.

TUrbo quem Regulares impetuose admodum excitarant in *Monita Salutaria*, paulatim, nulla relicta ruina, concidit; e dissipatis nubilis, veritas clarior eluxit: clamores tamen & calumniae, quibus hanc conati sunt offuscare, & fidem Auctoris meamque denigrare, fuscam adhuc aliquam suspicionem nonnullorum animis impressam reliquerant, quae ut penitus obliteraretur, judicavit Authot opportunum Epistolam Apologeticam ad me scribere, & ego eam publici juris facere, quam hisce jungo, ut Emin. Vestra totius rei seriem notam habeat. Voluit Deus, ut solet, hanc commotionem permittere, ut pravi humores, quibus Religio nostra infestatur, manifesti fiant, & sensim expellantur: quod de divina Providentia sperant sinceri omnes Veritatis amatores & Ecclesiae Filii; atque ut illa etiam Eminent. Vestram diutissime illis patrocinandis servet, obnixis precibus rogat

Eminentiss. Domine

Gandavi 8. Martii 1674.

Eminent. Dominationis Vestræ

Servus demississimus
Ignatius Gillemans.

EPI-

EPISTOLA LXXXVI.

Eminentissime Domine.

Antuerpiæ F. Albericus Vanden.... 1674.

THeses nostras Theologicas, quas Eminentiae Tuae benignitate fretus, nomini tuo inscripsi, transmitto. Majora quidem tibi debentur ab Ordine, Monasterioque nostro amoris Symbola. Verum & hæc, quantumvis exigua, ausim sperare fore grata, tum ob materiam, de qua tractant, tum ob offerentium affectum re oblata longe majorem. Si quid forte erratum sit, aut minus rectè dictum, Eminentiae Tuae & Sanctae Matris Ecclesiae judicio ac correctioni profundissime submitto, Deum enixe rogaturus, ut Te ad Ecclesiae suae tutelam & lumen diu conservet

Dabam Antuerpiae in Abbatia nostra de S. Salvatore, quarto Idus Augusti 1674.

Eminentiss. Dominationis Tuæ

Humill. cliens ac servus
F. Albericus Vanden....
Abbat. S. Salvatoris Prior S.Th. Lic. ac Prof.

EPI-

EPISTOLA LXXXVII.

Eminentissime Domine.

Insulis Flandrorum F. Jo. Bap. de Perne 1674.

ETsi ignotus Eminentissimæ Dominationi Vestræ (quam scio occupatissimam) audeo tamen pauca hæc scribere, audiens ab eximio P. Magistro Lupo, quam libenter operam suam impendat in iis quæ pacis sunt, maxime in Domibus Religiosis. Primum itaque pro ea Vestra sollicitudine & charitate immortales gratias ago Deo meo, quem exiguis meis precibus ac sacrificiis pro incolumitate Eminentiæ Vestræ, quoadusque vixero, non desinam sedulo orare & invocare. Deinde significo, me consilium, quod Prudentia vestra sapientissime mihi suggerit, nimirum sententiæ contra me latæ humiliter obtemperandi, & deinde preces pro absolutione porrigendi, tamquam e Cœlo missum ambabus ulnis amplecti, & per omnia velle sequi, imo me quodammodo illud prævenisse: Mox enim, ut intellexi Rev. Patrem Generalem nostrum, non obstante appellatione, sententiæ a se latæ effectum & obedientiam a me requirere; sine mora obedivi, Provinciæ administrationem omnem sic abdicando, ut nullis exinde Provinciæ negotiis me immiscuerim. Insuper quam potui humillimas ad Rev. P. Generalem literas misi, & omnium præteritorum veniam suppliciter postulavi. Unde vix dici potest quantum læter consilium Vestrum coeptis meis correspondere. Quia tamen non ignoro humiliationem meam longe plus ponderis habituram, si ex consilio vestro procedere sciatur, hinc novas, quas ad R. P. Gene-

ra-

ralem scripsi humiliationis & obedientiæ literas ausus sum ad Eminentiss. Dominat. Vestram prius legendas mittere, ut pro sua bona voluntate & affectu pacis religiosæ, dignetur bonum opus, quod incepit apud Rev. P. nostrum Generalem perficere. Sane si cooperante Eminentia Vestra a suspensione absolutionem obtinuero, non ego tantùm, sed tota hæc numerosissima nostra Provincia in æternum manebit Emin. Vestrae Dominationi devinctissima, semperque retinebit debitae gratitudinis memoriam, quod discordiarum finem, scandalorum aversionem, regularis disciplinae observationem, & divini cultus promotionem sollicitudini ac Benevolentiae Vestrae merito debeat. Deus ter Optimus Maximus Emin. Vestram sanam & incolumem diutissime conservet. Ita precor ex animo

Eminentiss. Dominat. Vestrae

Datum Insulis Flandrorum die 6. Martii 1674.

F. Jo. Baptista de Perne
Provinciæ Belgicæ Ordinis Eremitarum
S. P. Augustini Provincialis indign.

EPISTOLA LXXXVIII.

Eminentissime Domine.

F. Jo. Baptista de Perne.

VIsum est mihi pauca superioribus litteris verba subjungere, sed, si lubet, sub silentio. Hanc difficultatem, in quam inadvertenter incidi, Rev.P. nostro Generali non possum adscribere, cum aliunde sciam virum esse humanissimum & benignissimum: sed existimo eam mihi fuisse suscitatam maxime a R. P. Magistro Heckio Germaniae Assistente; id quod forsan ex eo, quod a novem circiter annis, tunc temporis etiam Provincialis, latum adversus eum ob certum quemdam ejus librum ac Theses, Pontificium mandatum exequi coactus fuerim. Hoc pluribus exponere paratus sum Emin. Vestrae, cum scivero ei nec ingratum fore nec importunum. Nunc silere malo, ne fiam æquo prolixior. Interim maneo qui supra

Eminentiss. Dominat. Vestræ &c.

Finis Primæ Partis.

PARS II.

EPISTOLARUM CARDINALIS BONA

EPISTOLA I.

PERILLUSTRIS, ET REVERENDISSIME DOMINE.

N. N. 1650.



Ono omine esse jubeo, quod sic feliciter somniasti. Quid enim facies vigilando, cui tam felicia somnia contingunt? Sed somnia tua aliorum vigilias superant, & tuæ extemporaneæ lucubrationes alienis longo studio elaboratis, ruborem incutiunt. Laudo fœcunditatem ingenii, laudo styli sublimitatem, laudo eloquentiæ soliditatem; sed quod personam nulla laude dignam tam excelsa laude cumulaveris, id ego non laudo. Hoc solum scilicet somniantis ludibria redolet, quod me laudas. Neque enim me ipsum in tam sublimi elogio reperio, nihilque mei inesse video in epidictica tua oratione præter nomen. Metam ostendis ad quam tendere vir bonus debet, ut hinc discam quid mihi desit. Monitis ego tuis parebo, & ad speculum, quod mihi offers animi mei vultum componam. Cæterum benedictionem quam a

Juniore Domatis accepisti, cumulatius a me ipso infulato accipies feria secunda proxima, qua Natalem Sanctissimi Patris nostri Benedicti celebramus. Hic sacrum facies, hic prandium sumes; quod in expiatione culparum, quas in tuo vigilanti somnio admisisti, siccum & Pythagoricum tibi parabo. Domatis senior cum juniore socii tui erunt, ni me iratum experiri velint. Vale interim, & esto felix.

Ex Abbatia nostra Idibus Martii 1650.

EPISTOLA II.

D. Petro a S. Josepho
1661.

QUæ sit lata sententia in causa Conversorum vestrorum, non dubito quin dudum intellexeris a D. Procuratore vestro Generali. Sed quare præter spem meam & vestram ita sit lata nescies certe, ni ipse scribam quid de hac re nuper audierim a nonnullis Eminentissimis Cardinalibus Patronis meis, quorum gratiæ & protectioni negotium istud summis precibus commendaveram. Ajunt igitur bonos hosce Conversos attulisse literas commendatitias a quodam Episcopo, & aliis Viris primariis, quibus continebatur controverso Decreto causam dedisse Sacerdotem unum, qui aliquando proclamatus a Converso, & ideo iratus iram intus nutrivit, donec coactis generalibus Comitiis, ipse Diffinitor electus est: tuncque in vindictam præfatæ proclamationis egit cum aliis & obtinuit, ut edito decreto sanciretur ne in posterum Conversi culpis Sacerdotum interessent. Hac sive historia sive fabella a judicibus audita & credi-

ta,

ta, quia teſtibus fide dign s ſatis munita videbatur: exiſtimarunt æquum non eſſe edictum confirmare, cui ſanciendo occaſionem dederat appetitus vindictæ. Accedit quod negotiorum eventus ab induſtria & dexteritate tractantis pendere ſolet: nec ſufficit juſtam cauſam tueri, ſi actor jus ſuum proſequitur remiſſe & negligenter. Uſi ſunt Converſi peritiſſimo advocato, & ſtyli Curiæ admodum experto, cui ſi alius æque peritus oppoſitus fuiſſet, certè cauſa diverſum exitum ſortita eſſet. Quod ad me ſpectat, P. V. ſancte affirmo, me nihil eorum prætermiſiſſe, quæ utilia mihi & neceſſaria viſa ſunt ad vincendam litem; ſed cuncta exequi non fuit in mea poteſtate. Nunc vero quid ſit agendum, vos prudenter videritis. Quædam ſuggeſſi P. Procuratori. Deus incolumem te cuſtodiat, Vir clariſſime, meque viciſſim tibi addictiſſimum, commendatum habeas in tuis Orationibus.

Romæ die 22. Auguſti 1661.

EPISTOLA III.

ME ſummopere afflixit inopinatus diſceſſus D. Abbatis de Trappe, quem mihi commendaveras, & quem tui cauſa & meritorum tuorum intuitu multum amabam; & quidem me inſcio & inſalutato. Statuerat enim prorſus diſcedere, & verebatur ne eum ab animi ſui propoſito revocarem; quod certè feciſſem, & ſi qua amanti vis eſt in dicendo, eum profecto coëgiſſem adhibitis ad preces lacrymis & omni conatu. Vere illum amo, & vereor primum nequid illi ſiniſtri accidat in tam longo itinere, hac hyemali tempeſtate, quæ ſolito rigidior inhorruit: deinde diſplicet mihi quod tantus Vir, cujus præcla-

claras dotes Summo Pontifici & Cardinalibus prædicaveram, non parem suæ generositati constantiam ostenderit. Hæc tamen nihil in me minuunt & amoris erga illum, & diligentiæ in causæ prosecutione, quæ revera per ejus absentiam nihil patietur detrimenti, cum alter Abbas socius ejus remanserit. Compatior illi, & cum isthuc pervenerit, eum officiosissimè verbis meis salutabis. At opportune, dum hæc scribo, venit ad me D. Gabriel noster, & literas tuas dedit quas nomine D. Abbatis de Precibus scripsisti. Tibi & illi sanctè polliceor, me totis viribus curaturum, ut pro suis feratur sententia. Deus scit me hanc causam tanta sollicitudine & applicatione tractare, ac si de capite & honore meo ageretur; nec id latet D. Abbatem de Trappe, & Socium ejus, ac vestrum Procuratorem Generalem; sed turpe est hæc mea jactari prædicatione. Quae vero attinet ad exitum rei, incertus est; & multa sunt quæ causæ abstinentium præjudicant. Nam quidam Vir Opt. & S. cujus verba tamquam oracula erunt apud omnes summos & infimos, ipsos Abstinentes non desiit donec vixit exagitare tamquam hypocritas & ambitiosos, qui solius abstinentiæ a carnibus prætextu Ordinem subvertere, & primas Abbatias occupare niterentur. Accessit deinde Scriptura quædam impressa in ipsorum defensionem, quæ revera scribentium animum concitatum ostendunt, & parum reverentem erga Sedem Apostolicam. Non omisit Pars adversa ejus Scripturæ occasionem, ut apud Judices eos traduceret, idque illis quibusdam exprobratum & objectum fuit. Nitor ego diluere has & alias, quas sileo, objectiones: & sane obtinui apud SS. DD. Nostrum, & apud quosdam ex Judicibus deputatis; at alii persistunt in sententia, qua semel præoccupati fuerunt. Deus in cujus manu sunt omnia corda, recta Consilia

filia ipsis Judicibus suggeret, uti spero, nec derelinquet sperantes in se. Qualiscumque autem successus fuerit; meæ conscientiæ satis erit, me nihil intentatum reliquisse, quod causæ prodesse aliquo modo posse cognoverim. Id tibi a te rogatus, & ipsis etiam promisi, & stabo promissis usque ad finem. Nuper expediendum erat Breve interlocutorium in hac causa: jussit summus Pontifex, Dei nutu, ut ego audirer, & quædam suggessi quæ addenda & mutanda in formula jam concepta visa sunt. Non oportet animum despondere; agitur de Gloria Dei; et si res initio turbulentæ videantur, dissipabuntur nebulæ, & serena ac tranquilla omnia fient. Sanctissimus optimæ intentionis est, nihilque statuet alienum a sua pietate & æquitate. Certiorem de his omnibus facies P. Abbatem de Precibus; sed oro ut hæc Epistola apud te maneat. Gratia Christi tecum sit semper.

Die 10. Februarii 1665.

EPISTOLA IV.

Reverendissime Pater.

Abb. de Precibus
1665.

PAucis tecum agam, quoniam manu ægre utor ob torporem, qui ante aliquot dies utrumque brachium, ac fere totum corpus invasit, & adhuc molestus mihi est. Audivi te anxium esse ob quasdam Epistolas a Viris Principibus istuc scriptas, quibus asserunt negotium Cistercienfium jam peractum esse, & D. Abbatem Cistercii, quicquid optaverat, obtinuisse. Com-

Compatior ſolicitudini tuæ; nam revera hic rumor dudum per Urbem ſparſus eſt; & niſi aliunde mihi intime res nota & perſpecta fuiſſet, ego etiam famæ mendaci credidiſſem. Bonus Abbas Ciſtercii viderat Decretum illud quod in prima Congregatione conceptum fuerat, & cujus promulgationem ipſe impedivi, & amplexus umbram pro corpore triumphum cecinit ante victoriam, idque adeo affeveranter ut apud omnes fidem invenerit. Sed revera nihil ſecum in Galliam tulit præter ſpem & bona verba. Res autem integra eſt, neque, ut alias ſcripſi, de bono ſucceſſu deſpero. Quod tamen, ut conjicio, negotium in longum protrahetur, multaque poſſunt contingere, quibus præſens rei ſtatus mutetur, viſum eſt mihi ſuggerere prudentiæ tuæ, ut breviter perpendas, ſatiuſne & utilius Reformationi Veſtræ futurum ſit, ſi concordiam inter vos & D. Abbatem Ciſtercii ineatis iis pactis & conditionibus, quibus Reformatio ſtabiliatur & creſcat, & pax in Ordine ſervetur. Hæc certe gratiſſima omnibus foret, præſertim Emin. Protectori, & Illuſtriſs. Fagnano; & fortaſſis ex amicabili compoſitione interveniente Reginæ & Principum vobis faventium majora commoda percipietis. Hoc conſilium tranſacta nocte in mentem venit; bonum ne an malum ſit, ipſe conſidera. Si nihil frugis in eo eſſe animadvertis, explode protinus & rejice. Cum videro Abbates veſtros, fuſius de hac re cum ipſis loquar, & ipſi uberius ſequenti hebdomada ad te ſcribent. Mihi innuiſſe nunc ſatis eſt. Quidquid autem juſſeris, tuus ero in perpetuum. Vale.

Die 28. Aprilis 1665.

EPI-

EPISTOLA V.

D. Goussainville

D. Goussainville 1666.

SUmmo gaudio me affecerunt literæ tuæ, ex quibus didici te immemorem mei non esse, licet hactenus Tibi inutilis Servus fuerim. Dudum rogaveram amicum meum, penes quem sunt Regestra, quæ vocant S. Rituum Congregationis, ut diligenter ea evolveret, et notaret si quid ab annis triginta in Rubricis Missalis et Breviarii additum vel immutatum reperiret: Retulit is mihi, nihil se invenisse, nisi responsa quædam ad dubia particularia alicujus Ecclesiæ, quæ tuo proposito nihil conferrent. In Ceremoniali Episcoporum nonnulla correcta fuerunt, cum jussu Innocentii Decimi in hac Urbe recursum fuit, sed hanc editionem, quæ facta est anno 1651. istis esse non dubito. De tuis subito certiorem feci, nescio quo fato literæ meæ amissæ fuerint. Multæ sunt procul dubio occupationes meæ, si quid tamen studiis tuis prodesse possum, rogo, ut opera mea plena libertate utaris. Deus te diu incolumem servet.

5. Januar. 1666.

EPISTOLA VI.

Admodum Rev. Pater.

Lucæ Dacherio 1666.

GAudeo quod VII. Tomum tui Spicilegii feliciter ediderís, tuoque labori mecum congaudent Viri eruditi, qui omnes ajunt, te de Republica Litteraria optime mereri, dum veterum Scripta è situ et pulvere vindicata in lucem profers. Tibi autem et Reverendis. P. Generali gratias quamplurimas ago ob gratissimum munus Spicilegii et Commentarii in Psalmos a Monacho Vestræ Congr. editi, qui me nihil tale merentem, honorare voluerit. Retribuat vobis Deus. Scripsi hodie, & gratias egi Excellentissimo D. Comiti Carroccio, ipsumque rogavi, ut Attonis Opera è Tabulario Vercellensi sine lacunis transcripta ad te curet quamprimum mitti, octavo Tomo, qui jam prelo paratus est, inserenda. Det tibi Deus longitudinem dierum, ut plures spicarum manipulos colligas ad tui Ordinis decus, & Ecclesiæ utilitatem.

Romæ 31. Augusti 1666.

EPI-

EPISTOLA VII.

Reverendiſs. Pater.

Abb. de Precibus 1667.

PRecibus Veſtris acceptum fero, quod licet Deus me diutino & gravi morbo caſtigaverit, morti tamen non tradidit me. Ægritudo mea ſtomachi debilitas eſt, qui non niſi tenuem ac parciſſimum victum patitur, & hunc etiam difficillime concoquit. Ætas autem mea ad annum LX. accedens, & vires laboribus, ſtudiis, atque infirmitatibus exhauſtæ non ſinunt me convaleſcere. Vivo tamen & quamdiu vixero, veſter ero, ad veſtra ſemper obſequia paratiſſimus. Curavit P. Magloires Congregationem particularem cogi pro actuum Capituli Generalis confirmatione; quod cum ego percepiſſem, protinus admonui D. Hache, qui vir ſtrenuus eſt & diligentiſſimus, nec defuit officio ſuo. Sed niti contra impetum fluvii non poſſumus. Habita enim Congregatio eſt urgente D. Fagnano in Palatio D. Cardinalis Ginetti, inſcio Protectore, & abſente D. Cardinali Farneſio cum aliis Prælatis, qui vobis propitii ſemper fuerunt. Concluſum in ea fuit poſſe acta confirmari, ſi Sanctiſſimo placuerit: neque difficile foret ipſam confirmationem per ſubreptionem extorquere: Sed præmonitus a me fuit amicus meus, qui Brevibus expediendis praefectus eſt, ſpopondit mihi ſe de toto negotio certiorem facturum Summum Pontificem, qui ipſum libenter audit. Hac via futurum ſpero ut res accuratius examinetur. Interim procurandæ ſunt Epiſtolæ a D. Cardinali de Retz ad Sanctiſs D. Noſtrum, & ad D. Cardinalem Azzolinum, prout plenius ſcribet vobis D. Hache. Ipſe alloqui Sanctitatem ſuam hactenus non potui,

tui, licet sæpius id tentaverim; cum tamen Optimus Pontifex & me ægrotantem per unum ex domesticis suis visitare, & bis etiam quibusdam muneribus honorare dignatus sit, suspicatus sum me impeditum a quodam Aulico viro primario ab adversariis prævento. Precari Deum oportet, sine quo omnes providentiæ nostræ inanes sunt. Vestros Abbates de Trappa, & Vallis Richerii ad urbem reverti necessarium existimavi: Sed quandoquidem licentia Regis obtineri non poterit nisi huc revocentur vel Sacræ Congregationis vel Summi Pontificis auctoritate, rem impeditissimam nunc esse video, donec negotium toti Congregationi Regularium committatur, aut aliqua particularis pro illo deputetur. Cum autem res exegerit, prædictos Abbates efficaciter hortabor, ut causam publicam privatis commodis præferant, seque Deo pro Ordine sacrificent. Tua vero de hoc negotio elucubratio gratissima mihi erit, nihil enim a Te expectandum nisi tua sapientia, pietate, zelo & prudentia dignum. Quod si aliquid in ea offendero, quod delicatioribus auribus minus gratum esse possit, qua par est fidelitate Tibi indicabo. Deus Optimus Maximus vineam Vestram quam plantavit dextera sua, visitet & locupletet, ut fructum plurimum afferat, teque diu, ut eam excolas, servet incolumem.

Paternit. Tuæ Rev.

Romæ die 18. Octob. 1667.

Obstrictiss., & obseq. servus
D. Joannes Bona, Abbas S. Bernardi.

EPI-

EPISTOLA VIII.

Generali S. Mauri 1667.

BEnignè facis, ut mos tibi eſt, cum me a Summo Pontifice honoribus auctum gratularis, nam ſi ex tua benevolentia mihi aliquid acceſſit, id totum tuum eſt, & fratrum tuorum, quos ob ſingularem pietatem & doctrinam maximè diligo: Atque utinam aliquando non verbis ſed rebus teſtari poſſem quanto & quam ſincero Congregationem S. Mauri, & te qui illi digniſſime præes, amore complectar, & quam vobis multis nominibus devinctus ſim: certè non paterer me ab alio quacumque vobis neceſſitudine conjuncto in obſequii exhibitione ſuperari. Quod vero attinet ad meam valetudinem, de qua te admodum ſolicitum fuiſſe exiſtimo, ut ex literis tuis, & ex officiis mihi tuo nomine præſtitis a Viro Relig. D. G. N. N. ſæpius didici, ea nondum mihi reſtituta eſt, licet vita in tuto ſit. Caſtigans caſtigavit me Dominus, ſed tuis precibus placatus morti non tradidit me. Quæſo igitur ut ipſum non ceſſes tuis, tuorumque orationibus mihi propitium reddere, dum ego viciſſim pro veſtra felicitate jugiter oro.

Die 8. Novembris 1667.

EPI-

EPISTOLA IX.

Magnifice D. Rector, & eximii Domini Magistri.

N.N. Magnifico D. Rectori, & eximiis Magistris Universitatis Lovaniensis 1671. *Lovanium.*

PErspectum vobis esse qualiter Deputatos vestros exceperim, & quomodo illis omnem operam pro negotii vestri expeditione, & pollicitus sim, & reipsa exhibuerim, vehementissime gaudeo; atque illis hac de causa multum debeo, quod Vestram mihi amicitiam conciliarint. Vos enim semper amavi, & propter zelum Orthodoxæ fidei, ac Christianæ pietatis studium, & propter multiplicem doctrinam vestram, ac singularem sapientiam, quæ vos omnibus virtutis ac literarum amantibus commendabiles reddunt. Quod vero mihi tam benigne gratias agitis, rem facitis humanitati Vestræ consentaneam; cui mutuam vicem reddere non desinam, non solum in præsenti causa, sed & in quibuscumque aliis occasionibus commodi & utilitatis Vestræ. Vestrum erit eas mihi frequentius offerre; nam me semper ad officia paratum invenietis, & interim Deum precor, ut cuncta vobis prospera largiatur

DD. V.

Romæ die 9. Februarii 1671.

EPI-

EPISTOLA X.

Admodum Rev. D.

R.P. Petro de Goussainville
Parisios 1671.

STatim ac recepi literas tuas uni, ex Familiaribus meis viro erudito commisi, ut ex Codicibus Mss. curet transcribi ea, quæ desideras pro commentariis Gregorii in libros Regum, Canticorum, & Psalmos, tam ex Bibliotheca Vaticana, quam ex aliis. Quis primus Romæ hos libros ediderit, & quibus Mss. sit usus, nondum liquet. In Vaticano nullæ reperiuntur Epistolæ ad Gregorium scriptæ. Commentaria in septem Psalmos Poenitentiales ego perperam Gregorio adscripta suspicor, nam in illis deesse videtur stylus & spiritus Gregorii. Deinde observo eundem Gregorium in reliquis operibus suis testimonia ex Psalmis semper proferre ex veteri translatione, quæ Italica nuncupatur, & quæ in Ecclesiis Urbis in usu fuit usque ad Pium V., & nunc remanet in Basilica Vaticana, ut ex Collectione S. Pateni constat. Cur igitur præter morem hos psalmos exponit ex alia versione quam Hieronymus correxit & interpolavit? Differo de hac re lib.2. Rerum Liturgicarum cap.3. qui liber nunc Romæ sub proelo est. At hæc mea conjectura, seu potius suspicio est, cui fidem quam volueris, adhibebis. Romæ anno 1475. edita sunt sola Moralia in Job. Deus te diu incolumem servet

D. V.

Romæ die 14. Aprilis 1671.

EPI-

EPISTOLA XI.

Admodum Rev. Pater.

R.P.D. Benedicto Benedicto Maristellæ Ord. Cistercien. 1671.

PRomotionem meam ad purpuram non solum tibi & bonis omnibus gratam fuisse, verum etiam ab ipsis Heterodoxis probari, gauderem procul dubio, si aliquod tantæ dignitatis meritum in me agnoscerem. Sed reclamante conscientia, plausus & gratulationes vertuntur in luctum & confusionem; Dei enim Judicia expavesco, ne forte peccatis meis exigentibus ideo permiserit me elevari ut lapsu graviori allidar. Quare tuas tuarumque preces enixe postulo, ut divinæ gratiæ præsidio talis sim apud Deum, qualem me homines esse existimant. Pro expeditione Confirmationis tuæ omnem operam meam libentissime impendam, de qua re fusius egi cum P. Procuratore Generali, cui efficaciter adero, ut expensæ, quantum fieri poterit, minuantur, & negotium citius concludatur. Quod vero Monachi Maristellani Monasterii studiis solerter incumbant, adeo ut etiam pro cudendis libris Typographia ibidem instituta sit, summopere lætor, vobisque uberes gratias ago, quod Tractatum meum asceticum de Missæ Sacrificio cultiori forma edere dignemini, cujus exemplar, cum editus fuerit, si ad me deferri curabitis, beneficium in me collatum cumulabitis. Quia vero lucubrationes meas aliquid esse putatis, certiores vos facio cudi nunc Romæ opus a me non sine ingenti labore in Monasterio compositum rerum Liturgicarum, quo accu-

curate dilucidantur quæcumque pertinent ad Missæ originem, varios ritus, eorumque mutationes, & institutionem. Multa sunt in eo ex antiquissimis monumentis deprompta quæ eruditis non displicebunt. Tandem vestris precibus me iterum commendo.

Romæ die 28. Aprilis 2671.

P. T. addictiss.

Admodum R.P.D. Benedicto Abb. Maristellæ Ordinis Cisterciensis.

EPISTOLA XII.

Admodum Rev. Pater.

P. D. Franc. Dienix Abbati S. Salvatoris Ord. Cisterc. 1671. Antuerpiam

Libentissime operam meam impendam, ut a Sanctiss. D. nostro Indulgentiæ, quas petitis, Ecclesiæ Vestræ, seu Confraternitati in ea erectæ, aut erigendæ concedantur, si ejusdem certus aliquis titulus proponatur. Sedes enim Apostolica non solet hujusmodi Confraternitates approbare sub invocatione indeterminata Sanctorum, quorum reliquiæ sunt in aliqua Ecclesia, sed exprimenda sunt nomina illius vel illorum, in quorum venerationem institutio fieri debet. Oportet igitur, ut Paternitas Vestra seligat ex ipsis, quorum Reliquias habetis unum vel alterum, pro vestra devotione & arbitrio, dummodo eorum nomina descripta sint in Martyrologio Romano, ut sub eorum invocatione eadem Confraternitas fundari possit. Tum curabo expediri Breve in amplissima

forma, & si quid aliud potero pro Te & Ecclesia tua, semper me paratum invenies. Me interim tuis tuorumque precibus enixe commendo.

P. V.

Romæ die *9*. Maii *1671*.

Addictiss.

EPISTOLA XIII.

Admodum Rev. Pater.

F. Christiano Lupo Ord. Erem. S. Augustini S. Theologiæ Professori.
Lovanium 1671.

Videtur mihi justissima Religiosorum Tertii ordinis S. Francisci postulatio, neque enim sine dissidio esse possunt duo capita in eodem corpore, & dum una pars uni, altera alteri adhæret, scinditur charitas, quæ est vinculum perfectionis. Ideo libenter operam meam impendam, ut tollatur hæc petra scandali, dummodo Superior Generalis suum præstet assensum. Impensius autem huic negotio incumbam, ut agnoscant quo loco apud me sint preces a te pro illis porrectæ. Orationibus tuis me ex corde commendo.

Romæ die *6*. Junii *1671*.

EPI-

EPISTOLA XIV.

F. Christiano Lupo Lovanium.

SI a meo arbitrio & potestate penderet turbas istic exortas componere, jampridem Provincialis vester absolutus a pœnis esset & pristino gradui restitutus; sed cum mediatoris dumtaxat officio fungi potuerim, quidquid operæ ad pacem contuli, irritum fecit adversantium industria, ne dicam pervicacia. Tandem hac de re allocutus sum Eminentiss. D. Cardinalem Alterium Ordinis vestri Protectorem, eumque certiorem feci de statu negotii, & enixe rogavi, ut tandem sua auctoritate liti & discordiæ finem imponat. Audivit me benignissime, seque valde propensum ostendit ad ea quæ pacis sunt; & ne multitudo negotiorum, quibus premitur, promptæ expeditioni obstet, D. Fabrum admonui ut eumdem conveniat, & urgeat qua solet prudentia & solicitudine. Ab ipso igitur rei exitum præstolari oportet, & ego interim tuis orationibus & Sacrificii me commendo.

Romæ

EPISTOLA XV.

Francisco Malaval 1671.

ATtulerunt mihi literas tuas duo fratres Ordinis Prædicatorum, quos miratus sum ausos fuisse venire ad Urbem hoc tempore, quo non solum exteris hominibus, sed etiam habitantibus in vicinioribus oppidis lethale est in Agro Romano & in ipsa

EPISTOLA XVI.

Admodum Rev. Pater.

R. P. Sebastiano Knab Armeno
Ord. Præd.
Livorno.

Litteræ tuæ, quibus exortas scribis controversias cum Armenis de Paschæ celebratione, & aliis quibusdam ritibus, serius mihi redditæ sunt; statimque dubia proposui in Sacra Congregatione, quæ, re mature discussa, quid sit agendum, determinabit. Curæ meæ erit expeditionem solicitare, & interim me tuis precibus enixè commendo.

Romæ.

EPISTOLA XVII.

Admodum Rev. Pater.

Lucæ Dacherio 1672.

Gratissimæ mihi fuerunt literæ D. Arnaldi, utpote viri, quem ob insignem sapientiam & solidam pietatem summopere semper veneratus sum, precorque, ut meas, quas a D. Antonio Durban recipies, illi reddas. Librum meum nolo ut laudes, sed potius oro ut ignoscas temeritati meæ, quod opus aggressus sim viribus meis impar, & de erroribus qui multi sunt, me amice & sincere admoneas. Jussus scripsi, & hoc nomine veniam mereor; alioquin nunquam ausus fuissem augustissimi mysterii di-

dignitatem ingenii mei tenuitate violare. Vere & ex corde loquor,

Dum relego, scripsisse pudet, nam plurima cerno
Me quoque, qui feci, judice digna lini.

Rev. P. Generali, & D. Joanni Mabillon plurimam salutem dico. Vale & ora pro me.

Romæ die 15. Martii 1672.

Cardinalis Bona.

EPISTOLA XVIII.

D. Francisco Van Vianen
Lovanium 1673.

LEgeram in quodam catalogo librorum venalium inscriptum libellum de ignorantia juris nostri, cumque de illo sermo incidisset cum P. Hernesi, ille me docuit a fratre tuo conscriptum fuisse, & post aliquot dies eumdem mihi attulit munus certe gratissimum. Atque utinam auctor diutius vixisset, & quam mente conceperat Doctrinæ S. Augustini cum sacris literis concordiam perfecisset, modestius forsitam de S. Doctore quidam ejus adversarii loquerentur, ejusque assertiones tamquam deprompas ex Verbo Dei, qua par est veneratione, exciperent. Hanc methodum ille servavit in tractatu de ignorantia, nihil asserens, quod Sacræ Scripturæ irrefragabili testimonio non confirmet. Quod vero attinet ad controversias, quæ hodie in scholis tanta contentione agitantur, tecum & cum omnibus bonis doleo, naturam gratiæ, effrænem opinandi libertatem legum obligationi, et humanas ratiocinationes orthodoxæ fidei præscriptionibus a plerisque præferri; Doleo, inquam, a potentia seculi veritatem captivam de-

detineri, Sanctorumque Patrum, & veterum Canonum placita veluti antiquata contemni. Occulto suo, sed justissimo judicio hoc Deus permittit, ad cujus infinitam bonitatem magis pertinet de malis benefacere, quam mala esse non sinere. Observationes tuas de opinioni probabili vix potui festinanter percurrere ob multa & molesta negotia, quæ differre non possum, legam tamen attentius, & interim benignitati tuæ gratias uberes ago, quod me studiorum tuorum participem feceris. Dissertatio de ordine amoris illis sol s displicere poterit; qui se ipsos amantes & secundum hominem viventes in se ipsis, & non in domino gloriantur. Gaudeo quod praelo parata sit. Quid actum isthic sit, & quid Madriti dudum novi, sed tandem veritas triumphabit. Homo ille de quo scribis, ejusque artes notissimæ mihi sunt; nam de me etiam ausus est perperam loqui. Monui D. Internuntium, ut sibi ab ipso caveret, & Te illi enixe commendavi. Spero quod prudenter & discrete munere suo fungetur, nulli parti addictus. Adsit Deus Ecclesiæ suæ, teque diu incolumem servet.

Romæ in Pervigilio Pentecostes 1673.

EPISTOLA XIX.

Admodum Rev. Pater.

F. Christiano Lupo.
Lovanium 31. Martii 1674.

EPistolam Patris du Perne statim reddidi P. Generali, & cum ipso de toto negotio longum sermonem habui. Conclusio hæc fuit. P. Generalis paratus est in pristinum gradum illum restituere; sed conqueritur quod

quod nondum plene obedierit, nam Rectori Provinciæ post latam sententiam instituto Sigillum Provincialatus non consignavit, ubique locum sibi sumit ante Priores conventuum, registra item provinciæ apud se retinet, & suppressit literas, quas P. Generalis mandavit publicari. Hæc impedimenta si ab ipso amota fuerint; finis liti impositus erit. Scribo ad illum in hanc eandem sententiam, & interim agam una die proxime hebdomadæ cum Eminentiss. D. meo Carnali Brancaccio, ut si fieri poterit, citius hoc negotium componatur. Tres postremas partes Scholiorum tuorum in Concilia dudum accepi, jamque tibi gratias egi. Sed vereor ne litteræ illæ amissæ sint, ideo iterum benignitati tuæ uberes ago gratias, & congratulor, quod tam præclarum opus in communem utilitatem edideris. Plurimum ex ejus lectione profeci, similis enim factus es homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Longam tibi & incolumem a Deo vitam precor, ut plures hujusmodi partus in lucem edas.

Romæ 31. Martii 1674.

EPISTOLA XX.

F. Christiano Lupo.

DOleo quod pro negotio vestri Provincialis hactenus in vanum laboraverim, causa enim religiosa transivit in politicam, & Gubernator Belgii ad D. Cardinalem Hitardum, qui Regis Catholici Orator est, scripsit ut omnino impediat ne in pristinum gradum restituatur, id exigente servitio Regis. A. P. Hechio ut ipse scribis, hæc commotio orta est, quæ vix seda-

dari poterit, nisi P. Provincialis ad ipsum Heckium literas mittat, quibus veterum simultatum veniam petat, & dicat, se velle suam dignitatem de manibus ejus recuperare. Etiam D. Card. Brancacium traxit in partes suas, ut a P. Generali audivi, ideo præclusa mihi via est, qua possim tuis desideriis satisfacere & paci Provinciæ consulere. Patri quoque Generali magnopere displicet hæc perturbatio, & nisi impediatur, cito causam expedire paratus est. Tuum adventum in urbem avide expecto, et tibi interim prospera omnia ex corde precor.

Romæ.

EPISTOLA XXI.

F. Christiano Lupo.

DUdum ad preces D. Fabri Eminentiss. Cardinalem Alterium Ordinis nostri Protectorem rogavi, ut tandem dignaretur turbis isthic exortis ob suspensionem P. Provincialis finem imponere, ipso in pristinum gradum restituto. Respondit se propediem expectare a P. Generali adhuc unum responsum, quo habito omnino decreverat Provinciæ paci consulere non obstante P. Heckii contradictione. Nunc non decet me iterum illi molestum esse, ne videar de ejus promissione diffidere. Quod si res nondum peracta erit, cum hæ litteræ ad te pervenerint, satius est ut ad ipsum scribas, nam plurimi te facit & amat, eritque, ut puto, efficacior tuus ad eum recursus, quam mea intercessio. Vale & ora pro me.

EPISTOLA XXII.

Admodum Rev. Domine.

R.P.D. Ignatio Gillemans, Canonico & Archipr eсb Gandavum 1674.

